UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Manuale Parochorum, De Obligationibus, Functionibus Et Juribus Parochialibus

Engel, Ludwig

Salisbvrgi, 1662

urn:nbn:de:hbz:466:1-41598

Visual Library

40

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Th. 2340.

9. I
A 8.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

MANUALE PAROCHORUM,

DE

OBLIGATIONIBUS, FUNCTIONIBUS ET JURIBUS PAROCHIALIBUS,

Quod

NUPER DISPUTATIONI publicæ exhibitum,

Nunc

REBUS QUAMPLURIMIS AUCTUM

denuò in lucem edit

P. LUDOVICUS ENGEL in Celeb. & Exempto Monasterio Mellicensi in Aust. Inferiore Ord. S. Bened. Professus, I. V. D. Celsissimi & Reverendissimi Principis & Archiepiscopi Salisburgensis &c. & Illustrissimi ac Reverendissimi Principis & Episcopi Viennensis &c. Consiliarius & Consistorialis, SS. Canonum in Almâ Vniversitate Salisburgensi Professor Collegij Soc. Iesu Ordinarius. Paderbornæ 1669

SALISBVRGI,

Sumptibus & Typis JOAN: BAPTISTÆ MAYR, Typographi Aulici & Academici,

ANNO M. DC. LXII.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

✝

CELSISSIMO
AC
REVERENDISSIMO
S. R. I.
PRINCIPI
AC
DOMINO DOMINO
GVIDOBALDO
SALISBURGENSIS
METROPOLITANÆ
ECCLESIÆ
ARCHIEPISCOPO
SEDIS APOSTOLICÆ
LEGATO &c.
DOMINO DOMINO SUO
CLEMENTISSIMO.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

CELSISSIME PRINCEPS,

GRatiæ, quas Cœlum, quasque Magni Principes in subjectos dispensant, non aliter exsolvi possunt, nisi reverentiâ, ac ingenuâ professione debiti. Cognatam enim Cœlum, & magna terræ Sidera virtutem habent, nihil pro beneficiis reposcunt, nisi gratam beneficii memoriam.

Profiteor, mihi magnam à TE CELSISSIME PRINCEPS, gratiam

gratiam factam esse, cum me in Tuorum Consiliariorum transscripsisti numerum, ac Sessionem in Tuo Consistorio assignâsti. Cedit hic honor in Academiæ Tuæ, Ordinis & Monasterii Decus, & exinde magnitudo Gratiæ agnoscenda. Magni æstimat hoc beneficium meus D. Abbas, statimque imperavit ut publico quali quali testimonio gratus essem. Accepisti jam voluntatem, nunc etiam grati animi tesseram cape, parvum libellum sub Tuo Celsissimo Nomine & Patrocinio publicandum. Huic splendorem comunica. Nam in terris stellæ Principes sunt,

dum clementissimos radios in subditos spargunt, ac eosdem fructuoso exhilarant influxu, ut majora conari audeant, communicatâ animati gratiâ.

Tu Celsissime Princeps primæ quoque magnitudinis stella es, nam omnia magna extitêre, quæ hactenus aut consulendo, aut imperando in Patriæ curam impendisti, gessisti, sive publica, sive privata spectentur. Ad majora etiam Augustissimus Imperator (non tantùm annuente Summo Pontifice, sed & comprobante, imò animante, ac insuper Sanctissimâ Benedictione impositum munus fortunante) occasionem

ſionem præbet, magnitudini parem Animi Tui, ut Ejusdem ad Comitia Delegatus toti Imperio, imò Orbi illuceſcas.

Potenti Deus dextrâ Te diu incolumem ſervet Princeps Celsissime, ut à Tuo clementiſſimo ſplendore, unde certa incrementa, Status inprimis Eccleſiæ Catholicæ, deinverò Ordo noſter Benedictinus gratioſiſſimè foveatur. Ita precor, atque in perennem Tuam Gratiam me ſubmiſsè commendo

Celsitudinis Tuæ

Humillimus & obſequentiſſimus

P. Ludovicus Engel.

APPROBATIO
FACULTATIS THEOLOGICÆ.

ANtiquo-novum hoc, id est, ab Authore suo, insigni industriâ, bis genitum *Manuale Parochorum*, juxta Fidei morumque regulas, dextrè procedit, & Lectorem securâ manu ducit: ideircò dignissimum censeo, ut lucem secundam aspiciat, & multorum manu ac mente versetur.

P. DESIDERIUS SCHAPFERGER, Monachus Benedictinus in Seon, SS. Theol. Doctor, Casuũ Consc. Professor Ordinarius, & p. t. Facultatis Theologicæ Decanus.

AP-

APPROBATIO

FACULTATIS JURIDICÆ.

LIbellum hunc ſiue *Manuale Parochorum* mole exiguum, re & ſcopo verè magnum Parochis & Parochianis lectu utilem, obſervatu neceſſarium, merito in lucem Germaniæ & Chriſtianitatis prodire cenſet.

HERMANNUS HERMES,
I.V.D. Celſiſs. & Reverendiſſimi Principis Archiep. Salisb. Conſiliarius. Juris Publ. & Codicis Profeſſor Ord. Primarius.

IN-

INDEX CAPITUM ET TITULORUM.

PARS I.

De Obligatione Parochorum.

Cap. I. *Qualis debeat esse Parochus.* p. 1.
II. *De residentia Parochi.* 14
III. *De obligatione Breviarij.* 32
IV. *De obligatione Missæ.* 49
V. *De obligatione concionandi.* 65
VI. *De obligatione servandi festa.* 68

PARS II.

De Administratione Sacramentorum.

Cap. I. *De Baptismo.* p. 78
II. *De Pœnitentia.* 92
III. *De Eucharistia.* 125

IV. *De*

IV. *De Extrema Vnctione.* 136
V. *De Matrimonio.* 143
§. 1. *De impedimentis impedientibus tantùm.* 143
§. 2. *De impedimentis dirimentib.* 154
§. 3. *De solennitate Matrimonij.* 222

PARS III.

De Juribus Parochialibus.

Cap. I. *De Decimis.* 248
§. 1. *Quid sint, cui, & quomodo solvantur Decimæ.* ibid.
§. 2. *Quo fundamento alys præter Parochum competat jus Decimandi.* 263
§. 3. *Qualiter detur immunitas â solvendis Decimis.* 290
II. *De Primitys & oblationibus.* 313
III. *De Sepulturis.* 325
§. un. *Quinã sint indigni sepulturâ.* 347
IV. *De bonis Parochorum.* 361

Lecto-

Lectori Salutem.

A Mice Lector, Manuale Parochorum, *quod uno abhinc anno paucis foliis coarctatum prælio Scholastico expositum est, id nunc iterum prælum repetiit, & itendidem incudi redditum auctius limatiusq, nî fallor, evasit. Scopus est honor* DEI, *salus & utilitas proximi, non fama aut nomen inane: quanta enim sit Ecclesiæ Catholicæ ædificatio ex probâ Pastoralis Officij administratione, nemo est, qui ignoret. Cæterùm quod magni aliorum Doctorum Codices totis quasi brachijs, egregiè quidem, sed lectu operosiùs, explicant, id unica* Manu *tenes parvum* Manuale, *quæstionibus tamen quotidianis & practicis ubertim refertum. placuit hanc formam & methodum assumere, ut ad legendum sis promptior, nec molem fastidias. Vale & fruere.*

PARS

PARS I.

De Parochis & eorum obligatione.

CAPUT I.

Qualis debeat esse Parochus.

1. *Regimen animarum ars artium.*
2. *Ætas 25. annorum inchoatorum requiritur in Parocho, & ut intra annum recipiat Sacerdotium.*
3. *Negligenter omittens suscipere ordines elapso anno est ipso Iure privatus Parochia.*
4. *fallit in Ecclesijs Collegiatis.*
5. *Quidquid sit, an de de rigore extra casũ præsentationis & mãdati Apostolici possit Parochia conferri Clerico*

minoribus, Episcopus poterit dispensativè id facere.

6. *Dispensatio concessa in Iure impersonaliter intelligitur data Episcopis.*

7. *Nomine Episcopi veniunt etiam Inferiores Prælati habentes Iurisdictionem quasi Episcopalem.*

8. *Parochus bono exemplo suis debet prælucere.*

9. *quæ mulieres permittantur cum Clericis habitare.*

10. *Pœnæ, quæ ipso Iure incurruntur non habent locum in conscientia, nisi sententia, declaratoria sequatur.*

11. *Sacerdos concubinarius etiam notorius non est suspensus suspensione propriè dictâ.*

12. *Scientia quæ requiratur in Parocho.*

CUm sit *ars artium* regimen animarum, ut dicitur *in c. cùm sit. de ætat & qual.* utique non debent id suscipere & in Parochos constitui nisi qui fuerint idonei. dicuntur autem idonei

nei, in quibus 3. concurrunt: nimirum, *ætatis maturitas, morum gravitas & debita scientia. c. cùm in cunctis. 7. §. inferiora. De elect. c. licet canon* 14. *eod. in 6.*

Quod attinet ad *ætatem* in parocho requisitam, ea est 25. añorum inchoatorum *d. §. inf. & c. licet Canon.* Neq; tamen parochus statim eo tempore, quo sibi parochia confertur, Sacerdos esse tenetur, dummodo sit Clericus in minoribus constitutus, & intra annum numerandum à die adeptæ pacificæ possessionis suæ parochiæ in Sacerdotem promoveatur. *c. 2. de Instit. in 6. c. si pro Clericis. 8. de præb. in* 6

Sin autem talis parochus intra annum ad sacerdotiũ promotus non fuerit, tunc elapso anno (non priùs, quamvis tantum iam temporis spatiũ effluxerit, ut promotio ampliùs impossibilis sit. *c. commissa. 35. de elect. in 6.*) ipso Jure Parochia privatus erit, nisi justo aliquo impedimento ab Ordi-

nibus retardatus fuisset. *d. c. licet ca-*
4 *non &c. commissa.* In Ecclesiis tamen collegiatis, etiamsi aliàs Parochiales extiterint, & ijs, qui ad earum regimen assumuntur non habere locum hanc constitutionem, ut quis elapso anno *ipso Iure* sit privatus, sed requiri, ut juxta antiquiores Canones monitio Episcopi præcedat, & si monitus aliquis non ordinatus fuerit, tum demum per sententiam privari possit, declaratum est *in c. statutum. de elect. in 6.*

Cæterùm non ignoro, quòd aliqui cum Gloss *in d.c. 2. de Instit. in 6. & d.c. si pro Clericis* doceant, tantùm duos casus esse exceptos, in quib⁹ non requiratur, ut promovendus ad Parochiam sit in Sacris constitutus, videlicet 1. si præsentetur à Patrono. *ut in d.c. 2.* 2. Si ad mandatum Papæ alicui de Parochiali Ecclesia provideatur *ut in d. c. si pro Clericis.* Si verò de libera collatione agatur, tum non

non esse admittendum, qui saltem
Subdiaconus non sit *jux. tex. in c.*
prætereà, 5. de ætat. & qual. Sed 5
hanc doctrinam non recipiunt Archi-
diac. Ioan. And. & alij de quibus at-
testatur Gloss. *in d c. si pro Clericis,*
censentes d. cap. *prætereà* per poste-
riores Canones in sexto decretalium
existentes indifferenter correctum esse.
Quidquid sit de hac doctrina theoricè
in utramque partem disputabili, in
praxi res non habet magnam difficul-
tatem, cùm Episcopus possit etiam
ex authoritate illius cap. *prætereà* di-
spensare, cum aliquo ad Parochia-
lem Ecclesiam, si adhuc in sacris non
sit. Dico, Episcopum dispensare
posse. Nam licet *in d. c. præterea* E-
piscopo hæc dispensatio expressè non
concedatur, hoc ipso tamen, quòd
Pontifex dicat *dispensativè* posse ad-
mitti ad Parochias constitutos in mi-
noribus, eam dispensationem con-
cessisse Episcopo intelligitur; atque 6

idem generaliter tenendum esse, quoties in aliquo Canone dispẽsatio permittitur, quamvis Episcopi mentio nõ fiat, tradit Pan. *in c. fin. de past. præb. n. 10.* Felin. *in c. nuper. de sent. excom.* Barb. *de offic. Episc. p. 2. allegat. 34. n. 22.* Ratio est, quòd potestas data dispensandi in aliquo Canone, non possit rationabiliter intelligi data S. Pontifici, utpote qui aliàs eam potestatem habet. *c. proposuit. §. licet. de concess. præb.* (nisi ex sermone coñexo vel stylo & consuetudine aliud appareat, ut in Trid. *S. 24. de ref. Mat. c. 5.* Sanch. *de mat. l. 8. disp. 6. n. 19.*) Consequẽter ut leges accipiantur de casibus dubitatis, jux. *l. 1. §. 2. ff. ad. municip.* & verba Papæ aliquid operentur. *c. si Papa. 10. de privileg. in 6.* debeat intelligi illa potestas data Episcopis, quibus aliàs non competeret.

Sed quid si Abbas vel alius Prælatus inferior Episcopo, habeat Ius conferẽdi parochiam, an & is eandem Clerico in

co in minoribus tantùm ordinibus constituto conferre poterit? R. affirmativè, quia tex. dum *in d. c. præterea*, 7
dispensationem ordinarijs Collatoribus permittit, non distinguit inter Collatores, Episcopos & Inferiores, ergò nec nos distinguere debemus *arg. l. de pretio de publiciana.* accedit, quòd Inferiores, Prælati circà huiusmodi parochias, quas conferre possunt, Jurisdictionē quasi Episcopalem habere censeantur. *jux. gl. not. in clem. 1. in v. propriy. de reb. Eclef. non. alien.*

Circà *morum gravitatem* verissimè monet Concil. Trid. *s. 22. de ref. c. 1.* 8
nihil esse, quod alios magis ad pietatem & Dei cultum assiduè instruat, quàm eorum vita & exemplum, qui se divino ministerio dedicârunt. &c. Et Gregorius *lib. 34. mor. c. 30. non debet*, inquit, *hominum ducatum suscipere, qui nescit homines bene vivendo præire, ne qui ad hoc eligitur, ut aliorum culpas corrigat, quod resecare debuit, ipse com-*

mittat. Quapropter omnia illa, quæ generaliter *de vita & honestate Clericorum*, videl. de luxu vestium & capillorum, crapulâ & compotationibus in tabernis publicis, lusu immoderato, ac negotijs sæcularibus evitandis in SS. Canonibus statuta sunt, tantò magis Parochi observare debebunt, quantò ipsis cum curâ animarum arctiùs incumbit, ut alijs bono exemplo præluceant.

Specialiter verò ut incontinentiæ vitium declinetur, sub gravibus pœnis jubet Concil. Trid. *s. 25. de ref. c. 14. quàm turpe*, inquit Concil. *ac Clericorum nomine qui se divino cultui addixerunt sit indignum, in impudicitiæ sordibus immundoq; concubinatu versari, satis res ipsa communi omnium fidelium ostensione testatur. ut igitur ad eam, quam decet, continentiam ac vitæ integritatem ministri Ecclesiæ revocentur, populusq; hinc eos magis discat revereri, quo illos vita honestiores cognoverit,*

verit, prohibet S. Synodus quibuscunq; Clericis, ne concubinas aut alias mulieres, de quibus possit haberi suspicio (secùs de mulierib⁹ quæ vel ob ætatē, vel primi aut secundi gradus consanguinitatem suspectæ non sunt. c. cum omnibus dist. 81. &c. pen. de cohab. Cler. & mul.) *in domo vel extrà detinere, aut cum iis ullam consuetudinem habere audeant, alioquin pœnis â SS. Canonibus vel Ecclesiarum statutis impositis puniantur.* Addit quoque ipsum Concilium pœnas & certum modum procedendi contra hujusmodi Concubinarios, ac inter alia statuit, ut si à Superioribus moniti à fœminis suspectis se non abstinuerint, tertiâ parte fructuum beneficiorum suorū quorumcunq; sint *ipso facto* privati: sin autem in delicto eodem perseverantes secundæ monitioni adhuc non paruerint, fructus omnes ac proventus suorum beneficiorum *eo ipso* amittant &c.

Sed hic quæri posset, an hæ pœnæ

Concilij quæ ipſo facto incurruntur, ſtatim in conſcientiâ locum habeant, ita ut Parochus fructus ita amiſſos ſine alia condemnatione ultrò reſtituere
10 teneatur? ℟. benigniniorem eſſe ſententiam, quòd pœnæ quæ etiam ipſo jure irrogantur non aliter obligent in conſcientiâ, quàm ſi *ſententia declaratoria* ſequatur, per quam Judex declaret tales pœnas ſolvendas eſſe *per ea quæ docet Cov. de matrim. p. 2. c. 6. §. 8. n. 13. arg. c. ſtatutum de hæret. in 6.* ubi videtur ſupponi regulariter ad pœnas ipſo jure irrogatas debere accedere ſententiam declaratoriam, niſi ſpecialitet ob gravitatem criminis aliud ſtatuatur. Maximè verò in noſtro propoſito hanc *ſententiam declaratoriam* requiri, non obſcurè ex ipſo Concil. Trid. *d. ſ. 25. c. 14.* colligitur: dum ibi fructus à Clerico concubinario *ipſo jure* amiſſi non per ipſum Clericum, ſed *arbitrio Epiſcopi* fabricæ Eccleſiæ aut alteri pio loco jubentur applicari.

Alia

Alia est disputatio, utrum Sacerdos 11
concubinarius incurrat ipso jure suspensionem propriè dictam *jux. c. præter. dist. 32.* ita ut si celebret ante absolutionem fiat irregularis, cum quo tantùm per S. Pontificem dispensari possit. *c. 1. de sent. & re jud. in 6.*? De concubinario occulto satis conveniunt DD. quòd non sit suspensus propriè, sed tantùm eo modo suspensus, quo quilibet in peccato mortali existens usque dum pœniteat. *c. fin. de cohab. Cler. & mul.* At verò de concubinario notorio (qui scil. talis est per confessionem factam in judicio, sententiam, aut evidentiam rei, quæ nulla potest tergiversatione celari *d. c. fin.*) magna est dissensio apud Garc. *de benef. p. 7. c. 14. n. 11. & seqq.* Sanè consuetudine, quæ est optima legum interpres. *l. si de interpretatione ff. de LL.* videtur recepta sententia Cov. *in relect. Clem si furiosus p. 1. § 1. n. 5.* Innoc. Spec. & aliorum. quòd Cano-

nes, qui de suspensione concubinarij notorij loquuntur, sint intelligendi de suspensione impropriâ seu *de simplici prohibitione* celebrandi divina, non autem de ea, quæ sit *censura*, & cuius transgressio irregularitatem inducat, quia nec antiqui Canones, nec Concil. Trid. unquã de tali irregularitate mẽtionem faciunt, quamvis dum talibus Clericis celebrationem interdicunt, supponant eos sæpiùs celebrare. Multò minùs in praxi videmus, quòd Clerici concubinarij post pœnitentiam dispensationẽ super irregularitate à S. Pontifice petant. imò *in c. si qui sunt dist. 81. & c. fin. de cohab Cler. & mul.* satis insinuatur, quòd post pœnitentiam & concubinæ expulsionem hoc ipso alicui jus celebrandi restituatur, neque ibi dispensatio super irregularitate requiritur. porrò non est insolitum in nostro jure, ut suspensio non semper sit *censura*, sed aliquando tantùm de *simplici prohibitione* celebrandi accipiatur,

piatur ita enim *in c. dilecta de major. & obed.* dicitur, quòd Abbatissa possit suos Clericos *ab officio beneficioq; suspendere*. quod profectò de *censura* intelligi non potest, cum ea pertineat ad claves Ecclesiæ, quæ fœminis traditæ non sunt, sicut nec B. Virgini, licet esset dignior omnibus Apostolis *c. nova. de pœnit & remiss. gl. in d. c. dilecta.*

Quantum ad *scientiam* in Parocho 12
requisitam, optandum quidem foret, ut nonnisi optimè instructi in Theologiâ & SS Canonibus assumerentur: quia verò id in tenuioribus præsertim Parochijs haud facilè haberi potest. ideò saltem in Parocho desideratur, ut sciat ea, quæ plebi sunt ad salutem necessaria, nempè ut sciat articulos fidei, & Decalogum, & sufficienter sciat ea, quæ pertinent ad Sacramentorum administrationem. *Sotus in 4. dist. 25. art. 4. Conc. 3.*

Caput II.

De obligatione, quæ incumbit Parocho residendi in sua Parochia.

1. *Ad residentiam de jure divino obligantur habentes curam animarum.*
2. *Sine licentia Episcopi & relicto vicario ab Episcopo approbato Parochi abesse non possunt, secùs facientes perdunt fructus.*
3. *Controversia, an Parochus per duos menses possit abesse sine licentia.*
4. *Negativa verior.*
5. *Placet tamen media via, quòd scil. possit abesse etiam per 2. menses divisim non continuè.*
6. *Hodie non potest amplius Episcopus dare licentiam, ut Parochus absit studiorum causâ.*
7. *Consuetudo, ut Parochus notabili tempore ultra 2. menses absit est corruptela.*

8. *Quid*

8. *Quid possit Consuetudo circà residentiam Parochorum.*
9. *In necessitate repentinâ quid faiendum Parocho.*
10. *Non sufficit Parochum esse præsentẽ si nunquam per se ipsum Sacramenta & curam administret.*
11. *Parochus, qui totam curam per suos Cooperatatores exercet, tenetur ad restitutionem fructuum, arbitrio tamen boni viri.*
12. *Pestis non exusat à residentiâ.*
13. *Excusat tamen ab administratione Sacramentorum, si idoneus Vicarius substituatur.*
14. *Regulæ quædam notabiles observandæ ab administrantibus Sacramenta pestiferis.*

OMnium illorum, qui curam animarum gerunt, residentiam instantissimè urget Concil. Trid, *s. 6. de ref. c. 1. & 2. & s. 23. c. 1. præcepto enim divino mandatum est omnibus, quibus animarum cura commissa est* 1

(ver-

(verbis utor Concil. *d. ſ. 23*)*oves ſuas agnoſcere, pro his ſacrificiũ offerre, verbiq; divini prædicatione Sacramentorũ administratione, ac bonorũ operum exemplo paſcere, pauperum aliarumq; miſerabilium perſonarum curam paternam gerere, & in cætera munia paſtoralia incumbere, quæ omnia nequaquã ab iis præſtari & impleri poſſunt, qui gregi ſuo non invigilant, neq; aſſiſtunt, ſed more mercenariorum deſerunt. &c.*

In ſpecie autem de Parochis ſeu Cu-
2 ratis inferioribus ſtatuit Concil. *d. ſ. 23 c. 1 §. eadem omnino. ut quandocunque eos cauſa prius per Epiſcopum cognitâ & probatâ abeſſe contigerit, Vicarium idoneum ab ipſo Ordinario approbandum cum debita mercedis aſſignatione relinquant. diſcedendi autem licentiam inſcriptis, gratiſque concedendam ultra bimeſtre tempus, niſi ex gravi cauſâ non obtineant.* Pœna quoque, quam idem Concil. *in d. c. 1. in §. ſi quis autem.* contra Epiſcopos

non

non observantes illud decretum constituit, statim in seq §. *eodem omnino* ad curatos inferiores extendit ita ut & isti *præter mortalis peccati reatum, pro rata temporis absentiæ fructus suos non faciant, nec tutâ conscientiâ, aliâ etiam declaratione non secutâ, illos sibi detinere possint, sed teneantur fæbricæ Ecclesiarum aut pauperibus loci errogare. &c.*

Porrò ex allegatis Concilij textibus
Quær. 1. utrum Parochus saltem per 3
duos menses in anno possit abesse sine licentia Superioris, sicut concessum est Episcopis & Canonicis *in eadem s. 23. c. 1.* Non est paucorum sententia cum Nav. *in man. c. 25. sub n. 121.* constitutionem Concilij ita intelligendam esse, quòd Parochus si ultra duos menses abesse velit licentiam Superioris impetrare debeat, cæterùm per duos menses singulis annis ex aliquâ causâ, quæ ipsi Parocho bonâ fide justa videtur sine licentia abesse possit.

tum

tum quòd Concil. *d.l. in §. eadem omninò*, inter obligationem residendi, quæ est in Parochis comparationem faciat, tum etiam quod id de jure antiquo licuerit. *ex c. præsentium. 7.q. 1.*

4 Alii econtra censentes illam comparationem inter residentiam Episcoporum & Curatorum tantùm quoad *pœnas* factam negant, Parochum unquam sine licentia discedere posse, pro quibus meliùs facit tex. Concilii, qui vult à Parochis licentiam exigi, *quandocunque eos abesse contigerit*, & mox subjungit, quòd nec cum licentia Episcopi debeant ultra duos menses nisi ex gravi causâ abesse. atque hanc posteriorem sententiam confirmavit Declaratio Card. apud Garc. *de benef. p. 3. c. 2. n. 23.* & quidem sub eo rigore, ut nec per hebdomadem liceat Parocho sine obtentâ licentiâ abesse. quod verò *authoritate d. c. præsentium* dicitur, de jure antiquo licitam fuisse absentiam

duo-

duorum mensium sine licentia Episcopi, rectè negari potest *ex c. si quis in Clero, 7. q. 1 & c. relatum. 4. de Cler. non resid.* unde in d. c. *præsentium.* nihil aliud disponitur, quàm quód ob absentiam duorum mensium subexistente causâ ægritudinis aliquis beneficio privari non debeat: nihil autem ibidem dicitur quòd Parochus sine licentia ad duos menses discedere possit.

Verùm cùm utraque sententia modò relata plurium Classicorum DD. authoritate nitatur, quos refert Garc. *d. c. 2. n. 19. & seqq.* Barb. *de off. par. p. 1. c. 8. n. 58. & seqq.* Ideo ex Concil. glossæ *in c. 1. de offic. Cust. in v. modum:* videtur *media via* ex quadam naturali æquitate & Epikia teneri posse, consuetudine sic passim declarante, quòd videl. Parochus etiam per duos menses singulis annis absque licentiâ abesse possit, non quidem *continuè* sed *divisim*, ita ut ipsius absentia singulis vici-

vicibus non extendatur ultra unum vel alterum diem, & idipsum faciat ex honesta causa & sine spirituali detrimento sui gregis: cessat enim sub hoc temperamento periculum animarum, quòd subesse solet, si Paroch. ad duos integros menses à sua parochia discedat.

6 Præterea quamvis olim Parochi cũ licentiâ Episcopi potuerint studiorum causâ etiam per septem annos abesse, *c. cum ex eo 34. de elect. in 6.* hodiè tamen post dict. decretum Conc. Trid. id non ampliùs per Episcopum rectè concedi à S. Congregatione Card. decisum refert Conzal. *ad Reg. 8. Cancell. gl. 6. n. 351.* Barb. *in Collect. ad d. c. 1. Trid. S. 23. n. 55.*

7 Quær. 2. Utrum Consuetudo alicuius loci valeat residentiam Parochorum immutare? ℟. circa residentiam duo consideranda esse, nimirum 1. obligationem *residendi* & obligationem *petendi licentiam*: si justa causa absentiæ subsit. Obligatio *residendi*

di in genere, penes eos qui curam animarum gerunt, nullâ consuetudine tolli potest, cum sit jure divino præcepta *Trid. s. 23. de ref. c.* 1. contrà quod jus consuetudo nihil operatur. At verò obligatio *petendi licentiam discedendi* suppositâ justâ causâ discessi cùm sit mero jure humano pontificio introducta, absolurè quidem loquendo per contrariam consuetudinem tolli potest; si tamen ex tali consuetudine liceret Parocho notabili tem- 7
pore ultra duos menses abesse sine licentia Superioris, illa (*jux. tex. in Concil Trid d. c.* 1. § *eadem omnino*) *corruptela* & consequenter invalida foret propter multa inconvenientia, quæ inde nascerentur. nam Parochi nullâ petitâ licentiâ ab Episcopo nullum etiam ab eodē sui loco peterent Vicarium, & sic persæpè cuicunq; obvio curā animarum per longius tempus cum multis periculis committerent. deinde successu temporis eò res deveniret, ut

Paro-

Parochi non tantùm sine licentia, sed multoties etiam sine justâ causâ oves suas desererent & mercenariis committerent.

8 Sed ut consuetudine licitum sit Parochis per unam vel alteram hebdomadem ex justâ & rationabili causa & sine periculo damnificandi gregem substituto interim idoneo Vicario abesse, non audeo improbare, maximè si propter distantiam loci difficilis ad Episcopum aditus pro obtinenda licentia habeatur. Imò amplius dico, si de Consuetudine in aliquo loco Parochi etiam per duos menses continuò abessent ex justâ tamen causâ, posset satis tolerari. quia per talem consuetudinem videretur declarata illa controversia, quam in priori quæstione tradidi. Constat enim, quòd in dubio Jure optima legum interpres sit Consuetudo. *l. si de interpretatione 37. ff. de LL.*

Quær. 3. Quid faciendum Parocho,

cho, si necessitas tam repentina sit, ut pro obtinendâ licentiâ Episcopum nequeat adire? ℟. Parochum debere post discessum suum, quamprimùm potest Episcopũ de causâ absentiæ certiorare, ut is de justitiâ causæ cognoscere, & tempus revertendi determinare possit *Garc. de benef. p. 3. c. 2. n. 34.* 9

Quær. 4. An Parochus satisfaciat suæ obligationi, siquidem in parochia præsens sit, sed omnia per suos Capellanos exerceat? ℟. Parochum teneri saltem aliquoties, & maximè si Parochiani ipsum in specie petierint per semetipsum curam & Sacramenta administrare. *c, relatum. 4. de Cler. non resid. c. extirpandæ 30. §. quia verò de præb.* Cùm enim Parochus pro animabus sibi commissis rationem reddere teneatur, sanè ipsemet experiri debet, qualiter in via salutis instructæ sint. Unde notanter Joan Sanch, *in Sel. disp. 47. n. 7.* hinc inferes, prô dolor! inquit, quàm malè aliqui Parochi 10

chi

chi se gerant, Sacramenta nunquam aut ferè nunquam administrantes, & suarum ovium curam mercenariis committentes, qui cum ut plurimùm sacerdotes inopes &egentes sint, timeri non imprudenter poterit, potiùs rationem habituros quærendi ab ovibus victum, quàm curam medendi infirmitatibus animæ, complacere eis studentes, quando respuendæ & reprehensionis gladio feriendæ. &c.

Quær. 5. An Parochus ad restitutionem teneatur, si totam curam per suos Cooperatores exerceat? Negativè respondet Garc. *de benef. p. 2. c. 2. n. 53.* eò quòd id jure cautum non reperiatur, pœnalia verò extendenda non sint. Contrarium tenet Sylo. *v. residentia n. 1. & 6* Joan. Sanchez. *d. l. n. 6*, Jacob. de Graffiis *in decis aur. l. 2. c. 92. n. 57.* nam ex horum doctrina non intelligitur residere, nisi qui Sacramenta administrat, cùm verba accipienda sint cum effectu.

Ego,

Ego hanc posteriorem sententiam judico verbis(*c. 4. de Cler. non resid. & Concil. Trid. s. 23. c. 1.*)menti ac rationi legis esse conformiorē,& propterea amplectendam, sub hac tamen moderatione: ut ex solâ residentiâ personali, præcisâ ab administratione, credam Parochum saltem meditatem fructuū lucrari. quia experientiâ constat,quod parochiani ex sola etiam præsentia personali magnam utilitatem percipiant,dum in quacunq; necessitate recursum ad Parochum habent,& Sacramenta per Capellanos præsente Parocho ipsis diligentius administrantur. Præterea in illa parte fructuum, quæ restituenda est, judico intervenire debere arbitrium boni viri, ut plus vel minus pro qualitate & gravitate negligentiæ restituatur. imò nō dubitaverim,quandoq; Parochum etiam rarius per se administrantem Sacramenta ad nullam restitutionem teneri,si revera comperiat suos Paro-

chianos sufficienter, & fortè melius per Capellanos, quàm per se ipsum instrui.

Quær. 6. An causa grassantis contagionis excuset Parochum à residentiâ?

12 Negativè fuisse decisum instante S. Carolo Borr. licet Parochus pestem fugiens alios idoneos Ministros sui loco substituere vellet, ex Selva refert Barb. *in d. c.* 1. *Trid. s.* 23. *n.* 60. qui utique in calamitoso illo statu Parochiani ex præsentiâ proprij Parochi magnam consolationem habent; ille enim cum optimè noscat conditionem suorum subditorum sine dubio in quotidianis occurrentijs tum circà Sacramentorum administrationem, tum circà alias necessitates repentinas melius per se vel per alium disponendi disponere poterit, quàm si ipso absente novus Vicarius ad tam quotidiana pericula constitueretur. Illud nimi-

13 durum esset dicere, quòd Parochus eo usqu

usque obligetur, ut etiam per se ipsum Sacramenta tempore pestis administrare teneatur, si idoneum Vicarium vel aliquos viros Religiosos habere possit. Non enim videtur mens fuisse Concilij, ut Parochus, qui fortè multum est utilis parochiæ, cogatur sin necessitate præsentissimum vitæ periculum subire: dico, sine necessitate. nam si Parochus alios per quos administret habere non possit, tenebitur tanquam bonus pastor vitam suam corporalem, pro vita spiritnali Ovium sibi commissarum exponere.

Sed advertendum est Parocho, ut tempore pestis in administrandis Sacramentis cautè se gerat, ne ex ipsius præmaturo obitu plures alij spirituale damnum patiantur. quare in eum finem aliquas bonas regulas ex Consilijs Medicorum & Theologorum collectas Parochis & Confessarijs pestiferorum tradidit Hen. Manigart *in suis floribus selectis ad fin.* quarum potiores

pro utilitate aliquorum, quibus is libellus forsan incognitus est hic subnotare volui.

14 1. Curandum ut ex præscripto Medici bona præservativa ad manum habeantur.

2. Tempore pestis non utendum longâ veste quæ protendatur infra genua, nec quæ sit ex materia pilosa, ad quam venenum faciliùs recipitur.

3. Non visitentur ægroti manè, vel saltem nonnisi sumpto jentaculo. Si necessitas urgeat jejuno stomacho ægrum adire (quia is morbus dilatione non patitur, nocet parvula mora) apponatur ad nares parum Theriacæ, strophiolum aceto tinctum, vel aliud præservativum applicetur.

4. Cauterium à Chyrurgo factum Medici & experientia, inquit Manigart, optimum esse præservativum docent.

5. Confessarius audiat ægrum à longè &, si fieri potest, curet ut accedat ad fenestram, vel ad portam, vel ad hor-

hortum, & ſemper ſtet, ab illa parte, unde ventus flat verſus ægrum.

6. Si æger non poſſit ſe movere & Paſtor ſeu Confeſſarius domum ingredi cogatur, ſtet 5. aut 6. pedibus à lecto ægri retro caput ipſius, jubeat ut æger vertat faciem verſus aliam partem: nec moveantur tegumenta lecti: curet ſuper lateres vel lapides accenſos in igne in medio cubiculi poſitos infundi acetum ad fumandum, & inter ipſum & ægrotum ſit aliquis ignis vel carbones accenſi; caveat autem ut nunquam ſtet inter ignem & ægrotum.

7. Si æger non poſſit altè loqui, ſed Confeſſarius debeat propè accedere, & ita ſe majori periculo exponere, non erit neceſſe, ut omnia peccata audiat, ſed poterit rogare ægrotum, ut ſtatim de uno vel altero peccato in particulari & de omnibus alijs in genere ſe accuſet, quia in tanto periculo non requiritur confeſſio materialiter integra.

8. Si plures jaceant in eodem cubiculo ægroti, qui propter instans mortis periculum singuli separatim confiteri non possint, debebunt omnes simul absolvi (sicut etiam fit in conflictu vel naufragio) formâ plurali: *Ego vos absolvo à peccatis vestris, &c.* dummodo singuli unum vel alterum peccatum palam confiteantur, quod sine scadalo vel notabili sui infamia confiteri possunt, vel si nullum in specie exprimere valeant, generalem Confessionem faciant aut signa pœnitentiæ edant.

9. Confessarius recedens à pestiferis purget se & vestimenta sua, albam quoque & stolam & corporale per ignem & fumum aliquem, vel per aspersionem & lotionem aquæ frigidæ, quæ veneno plurimum inimica dicitur.

10. Pro cautelâ Parochorum placuit adscribere verba Pauli Laym. *lib. 2. tract. 3. c. 3. n. 3.* cavere etiam, inquit,

„ quit, debet Parochus, ne dum peſtis
„ tempore unius non graviter indigen-
„ tis ſpirituali utilitati conſulere intẽ-
„ dit, plures alij ex ipſius occubitu gra-
„ viorem jacturam ſpiritualem pati-
„ antur. Quare *ſi ſolus ſit*, non facilè
„ miniſtrare debet cum vitæ ſuæ peri-
„ culo Sacramenta, quæ non admodũ
„ neceſſaria ſunt, vel ſecundum ſe, ut
„ extrema Vnctio (quæ qualiter tem-
pore peſtis conferenda ſit dicam ip-
ſe infra in cap. de extrem. Vnct.)
„ vel reſpectu perſonarum, quarum
„ bonum ſtatum Confeſſarius proba-
„ biliter cognitum habet, quia nuper
„ earum confeſſiones exceperat. De-
„ nique quotieſcunque ab aliqua per-
„ ſona, quam veriſimilibus Conjectu-
„ ris Sacerdos credit non habere con-
„ ſcientiã peccati mortalis, vel per cõ-
„ tritionẽ rectè ad moriendum diſpo-
„ ſitam eſſe, *probabiliſſimè* timetur pe-
„ riculum contagionis, in tali caſu
„ majus bonum publicæ neceſſitatis

„ præferendum privatæ alicujus utili-
„ tati.

CAPUT. III.

De Obligatione Parochi recitandi Horas Canonicas.

1. *Beneficiatus etiam curatus omittens horas Canonicas tenetur ad restitutionem.*
2. *Controversia an Parochus ad omnes fructus restituendos teneatur ex omissione Breviarij.*
3. *Æquior est sententia ut propter onera parochialia possit aliquam partem deducere.*
4. *Æquitas rigori Iuris quando praeferenda.*
5. *Beneficiatus in primis 6. mensibus omittens horas non tenetur ad restitutionem. secus tamen videtur si obligatio orandi incumbat ex fundatione.*

6. ua.

6. *Qualis attentio requiratur in orando Breviario.*

7. *Sine interna attentione recitans probabiliter potest excusari à restitutione.*

8. *Qui psalmos unius Horæ interruptim dicit sine causa, peccat quidem venialiter, satisfacit tamen præcepto.*

9. *Similiter qui ex errore unum officium pro alio dicit.*

10. *Capellani Parochorum non tenentur ad restitutionem, si Breviarium omittant.*

11. *Parochus Regularis quando teneatur ad restitutionem.*

12. *Quid de Vicarijs perpetuis dicendum?*

13. *Quid veniat nomine pauperum & fabricæ Ecclesiæ, quibus facienda est restitutio.*

14 *Causæ excusantes ab oratione.*

15. *Quando nam is, qui potest partem orare, sed non totũ, teneatur ad partem orandam.*

INter omnes convenit Clericos beneficiatos teneri ad solvendas Horas canonicas *prout tex. sunt in c. fin. dist. 92. c. 1. de Celeb. Missar. c. quia per ambitiosam. de rescript. in 6.* Id quod etiam de obtinentibus beneficium *curatum* clarè expressit Leo X in Concil. Lat in sua Bulla, quæ incipit *supernæ dispositionis 5. §. 38.* Et Pius V. in alia Bulla, quæ incipit: *Ex proximo &c.*

Porrò omittentem Horas Canonicas non tantum graviter peccare, sed etiam ad restitutionem fructuum *pauperibus vel fabricæ beneficiorum* faciendam teneri in dd. Bullis statutum est. Eámque restitutionem hoc modo fieri debere declaravit Pius V. ut si aliquis totum Breviarium omiserit, teneatur ad restitutionē omnium fructuum, qui si singulis diebus dividerentur, proportionaliter pro una die cederent: si verò omiserit Matutinum, teneatur ad dimidiam partem unius

diei

diei, si alias omnes horas præter Matutinum, ad alteram dimidiam, si unam tantùm Horam, ad sextam partem fructuum restituendam. sed

Quær. 1. An sub hac dispositione & distributione Pij V. etiam Parochi 2
comprehendantur, ut si per unum diem Breviarium non oraverint teneantur ad omnes fructus illus diei restituendos, vel potiùs possint sibi aliquam partem propter onera Parochialia retinere?

Plerique ob textus generalitatem inter Parochos & alios beneficatos nõ distinguunt, *Azor. Inst. mor. p. 1. l. 10. c. 14. q. 5. Barb. de off. Bar. p. 1. c. 10.* 3
n. 32. Suarez de Hor. Can. c. 30. n. 6. Verùm non desunt alij celebres Authores, qui magis æquitatem considerant, censentes, quod illa verba, *omnes fructus*, in Parochis (imó etiam in alijs beneficiatis, quibus onus residendi, dicendi missas &c. incumbit) limitari possint ad omnes fructus correspon-

dentes Breviario. Nam fructus non tantùm deberi existimant propter Horas Canonicas, sed potiùs propter onera alia, præsertim verò parochialia & Sacramentorum administrationem, ideóque restitutionem eorum propter non oratum Breviarium debere fieri proportionaliter arbitrio boni & prudentis viri, ita ut duas partes fructuum possit Parochus computare pro labore parochiali, & unam pro Horis Canonicis: & consequenter si v. g. portio redditiuum Parochialium unius diei fortè sint 3 floreni, propter totum Breviarium omissum tantùm teneatur unum florenum restituere, cujus opinionis sunt Lopez, Toletus, Sa, Sanchez, & alij cc. à Barb. *d. c. 10. n. 33.* Ego hanc posteriorem sententiam magnâ æquitate nixam satis tutè practicari posse opinor, secundum vulgatas juris regulas, quòd æquitas sit rigori juris
4 præferenda, si salva ratione recti sermonis lex aliqua ex bono & æquo interpre-

terpretationem recipere possit. *L. placuit. C. de judicijs Fachin. lib.* 1. c. 3. Maximè in pœnalibus & odiosis, in quibus semper benignior est interpretatio facienda, *ut pœnæ potiùs mollientur quàm exasperentur. L. pen ff. de pœn. c. odia &c. in pœnis de R. I. in 6.*

Quær. 2. Quando nam incipiat obligatio restituendi propter non oratum Breviarium? Rs. primum post 6. menses numerandos à die adepti beneficij, sicut in d. Bullâ Leonis expressè habetur, & in Bullâ Pij V. nihil hac in parte immutatur, sed solum declaratur, quòd per primos 6. menses non orans Breviarium sine justo impedimento graviter peccet. Licet autem Sotus apud Nau. *de oratione c. 21. n. 60.* videatur dubitare, utrùm Pontifex potuerit tanto tempore nõ orantib. Breviarium restitutionem relaxare? nihilominùs cum eodem Nau. rectiùs hic scrupulus reijcitur, cum oratio Breviarij, & propter ejus omissionem conse-

consequens restitutio tantùm Jure humano introducta sit, quod S. Pontifex pro suo arbitrio vel omnino remittere vel certo modo temperare potest. In illis tamen beneficijs, in quibus fundator obligavit beneficiatum ad recitandas quotidie Horas Canonicas procedere potest opinio Soti, ut etiam primis 6. mensibus nascatur obligatio restituendi, quia in talibus beneficijs obligatio orandi Breviarium descendit ex Jure Naturali, & eam omittens peccat contra justitiam commutativam, tanquam stipendiarius, qui non facit id, pro quo stipendium accipit, prout intelligendus videtur Suarez *de Horis Canonicis. c. 29. n. 7.*

Quær. 3. Qualis attentio, vel intentio requiratur ad solvendas Horas
6 Canonicas? ℟. non aliam requiri, quàm ut orans verba integrè proferat, & id faciat ex proposito tali modo Deum colendi, licet interim parùm curet de intellectu verborum quæ pleráque mysti-

myſticum ſenſum habent & ne quidē à viris doctis ſatis intelliguntur. Et prætereà ſufficit, ut illa intentio colendi Deum virtualiter perduret, quamvis ex humana infirmitate variæ diſtractiones interveniant, dummodo illæ diſtractiones omninò voluntariæ non ſint. *Paul. Laym. de orat. & Horis Canonicis. c. 5. n. 9. & ſeqq.* Docent quidem aliqui magni nominis DD. ut Durandus Paludanus S. Antonius Medina Sylu. & alij cc. apud Laym. *d. c. 5. n. 10. v. contrariam.* non requiri aliquam internam attentionem ſed ſolam externam circà verba integrè proferenda ſufficere. Verùm cum leges debeant accipi ſecundùm veroſimilem intentionem legiſlationis *c. ſecundò. 41. de appell. l. contrà legem 29. ff. de. LL. c. fin. de R. I. in 6.* prior ſententia utiq; probabilior eſt, eo quòd non ſit credibile, Eccleſiam voluiſſe ſolam illam materialem & externam prolationem verborum quacunque

men.

mente vel intentione factam præcipere, quia *in c. 1. de celeb. miß* profitetur, se velle explere illud Davidis *septies in die laudem dixi tibi*, & illud, *media nocte surgebam ad confitendum tibi*, ac *in c. dolentes. 9. de celeb. miß.* præcipit *ut studiosè pariter ac devotè* Horæ Canonicæ persolvantur. Dicente item S. Hieron. *audiant ij, quibus psallendi in Ecclesia officium est, Deo non voce tantùm sed corde psallendum.* in S. Bened, *& Reg. c. 19. stemus ad psallendum ut mens nostra concordet voci nostræ.*

Quær. autem 4. An ad restitutionem teneatur, qui omni internâ attentione voluntariè neglectâ Horas recitaverit, R. videri quidem tali casu restitutionem pro tutiori consulendam, quia eam imponunt cum Suarez *de Horis Canonicis. c. 26. n. 25.* alij quoque DD. Si tamen pœnitens difficulter persuaderi posset, non esset, meo judicio, multum urgendus. Enimverò

verò in propositâ quæstione negativa 7
sententia admodum probabilis est: cum Bullæ in principio hujus §. allegatæ tantùm imponant restitutionem *non dicentibus* Horas Canonicas, at is, qui sine intentione vel interruptim dixit non possit omninò haberi pro *non dicente*, aliàs autem odia restringenda sint, néque peccato merè interno regulariter à jure pæna infligatur. *L. cogitationis. de pænis. Laym. d. c. 5. sub n. 10. Medin Cod. de orat. q. 15. & ib. Corduba lib. 4. quæst. Theol. q. 13. circa fin. Henriq. lib. 9. c. 25. n. 5.* Non obstat quòd quidam in contrariũ adducunt cum Suar. *de Hor. Can. c. 26. n. 25. & seqq.* videl. omittentem internam attentionem non satisfacere præcepto, teneri ad repetitionem Breviarij. &c. nam ℞. nõ satisfacere præcepto eo perfecto modo, quo deberet, adeoq; ad evitandam culpam; satisfacere autem ad evitandã restitutionẽ quia non constat, quòd Ecclesia obli-

gatio-

gationem restituendi etiam ad eam partem præcepti extenderit, ex qua tenetur recitans internam attentionem adhibere, nam & sola externa attentio non est sine omni fructu: si enim in choro psalmodiadecens fiat, ædificat audientes; si privatim recitetur Breviarium, præbet saltem occasionem devotioni & plerúmque fit, ut vel incidenter interveniat bonus affectus, vel saltem piæ meditationes aut instructiones ex psalmis & lectionibus memoriæ hæreant, & quasi præter intentionem in animum irrepant.

Quod verò de necessitate repetendi Breviarium dicitur, si interna attentio omissa sit, illud non est usquequaque certum; negant enim Medina & Corduba cc. LL. sed licet concesserimus non tamen statim sequitur, quòd omitens repetitionem, teneatur ad restitutionem, vel hoc ipso quòd præcepto in quantum *non dicentibus* injungit restitutionem jam satisfecerit

quam-

quamvis non satisfecerit præcepto in quantum etiam vult internam attentionem adhiberi, sed id sub nullâ expressâ pœnâ vel obligatione restituendi.

Quær. 5. An satisfaciat præcepto, qui psalmos unius Horæ interruptim recitaverit vel officium ex errore mutaverit unum pro altero dicendo? ℟. quòd interruptio psalmorum sit quidem aliqua irreverentia, & propterea peccatum, sed ex communi sententia tantùm *veniale*. & idcirco interrumpens etiam per unam vel alteram horam non tenebitur ad repetitionem, quia quilibet psalmus continet perfectam orationem. Quòd si alicui quædam occupatio incidat, quàm commodè differre nequeat, interruptio planè culpabilis non erit. *Less. de I. & I. l. 2. c. 37. dub. 10. n. 57.* Similiter etiam satisfecit præcepto, & ad repetitionem non tenebitur, qui unum officium præsertim ex errore pro alio

alio dixit, quia ſubſtantia præcepti
conſiſtit in eo, ut 7. Horæ Canonicæ
quotidie dicantur, ut verò dicatur of-
ficium v. g. de Sancto, pertinet ſolùm
ad ritum & accidentalem Cerimoni-
am. *Leſſ. d.c. 37. dub. 12. n. 77. Sylv.
v. Hora, q. 12.*

Quær. 6. An Capellani ſeu Coo-
peratores Parochorum propter non
10 oratum Breviarium teneantur ad ali-
quam reſtitutionem? Negamus: quia
ſuum ſolarium non accipiunt tanquam
ex beneficio Eccleſiaſtico, ſed propter
perſonale ſervitium & functiones Pa-
rochiales. *Suarez de horis Canonicis
c. 22. n. 17.*

Quær. 7. An regularis qui eſt Pa-
rochus teneatur ad reſtitutionem ſi
11 Breviarium omittat? Puto diſtin-
guendum, an Parochia ſit monaſterio
incorporata & eam habeat Regularis
tanquam Adminiſtrator, & Vicarius
temporalis ad nutum ſuperioris amo-
vibilis, vel utrum non ſit monaſterio

incor-

incorporata,& eam habeat Regularis tanquam beneficium, in priori casu propterea non erit facienda restitutio, quia regularis tantùm percipit suam congruam sustentationem, & quidem non tanquam ex beneficio, sed propter administrationem Curæ. ipsum verò beneficium, ejúsque fructus ratione incorporationis ad monasterium spectare censenrur. altero autem casu, Regularis est propriè beneficiatus, & consequenter, uxta naturam omnium beneficiorum, fructus non aliter percipere potest, quàm cum onere recitandi Horas vel restituendi.

Quær. 8. Utrum Clerici sæculares 12
vel regulares, qui in Parochijs Canonicatibus v. g. incorporatis Vicarij perpetui constituuntur, teneantur ob neglectum Breviarium ad restitutionem? Sanè de rigore affirmativa evinci potest ex eo, quod vicaria perpetua dicatur beneficium *c. postulasti, 26. de rescript.* attamen si congrua por-

tio talis Vicarij sit valdè tenuis respe
ctu onerum Parochialium, quæ subir
cogitur, tunc suppositâ illâ sententi
quam supra in quæst. 1. tradidi, vel a
nullam vel modicam tantum restitu
tionem ob neglectum Breviarium te
nebitur.

Quær. 9. Quid veniat nomine
pauperum & fabricæ beneficiorum
13 quibus facienda est restitutio? R. pa
perum appellatione etiam venire m
nasteria, Ecclesias, & alia pietatis op
ra. Nomine autem fabricæ bene
ciorum non tantum venire fabric
Ecclesiæ, sed etiam domus in qua b
neficiatus habitat, vel alterius dom
ipsius beneficij pro fructibus collig
dis & conservandis extructæ & ge
raliter quid quid in perpetuum fruc
um beneficij augmentum insumitu
Barb. de. off par. 1. c. 10. in fin.

Quær. 10. Quænam sint causæ
cusantes ab oratione Breviarij & co
14 sequenter à restitutione? R. esse 1. n

turalem oblivionem: 2. infirmitatem corporalem, ex qua vel ipsâ rei evidentiâ vel judicij medici oratio sine magna difficultate aut corporis periculo fieri nequit: 3. gravem & repentinam occupationem, quæ sine scandalo vel notabili damno proprio aut alieno intermitti non potest: 4. dispensationem Pontificis: 5. defectum Breviarij & impossibilitatem illud hîc & nunc acquirendi prout hæ causæ deductius videri possunt apud Suar. *de Hor. Can. c. 27.*

Quær. postremò, utrùm is qui ob ægritudinem vel aliam culpam totum officium recitare non potest, teneatur ad partem recitandam, quam 15
potest? Item an cæcus vel is qui Breviarium amisit, teneatur recitare eam partem, quam memoriâ tenet? Affirmativam amplectitur Suar. *d. c. 27. n. 27.* eo quòd unaquæque Hora sit per se totum quoddam, & quod per modum Canonici pfficij convenien-

ter dicitur. monet tamenin casu infirmitatis corporalis non esse id scrupulosè observandum. Sed Nau. *de oratione. c. 11. n. 15. v. 8.* Garc. *de benef. p. 3. c. 1. n. 97.* Lessius *d. l. dub. 9 n. 54.* & alij dicunt, non teneri aliqu ad recitationem partis minoris, si majorem recitare non possit, tum quo major pars regularirer ad se trahat minorem, tum etiam quod recitati Horarum sit unum præceptum, & un actio moralis, quæ si non potest integrè fieri, non videtur ab Ecclesia mutilatè præcepta, sicut qui non potest audire totam Missam, non obligatur partem audire; item qui non potest abstinere à carnibus non tenetur abstinere à cœnâ &c. ut pro contrariâ sententiâ adducit Suar. *d. l. n, 22.* Atque hanc sententiam cum Azor & Rodriq. probabilem ait Laym. *de Hor. Can. c. 6. n. 1. v. sed dubitari.* ut propterea damnare non ausim eam sequentem, quia plurium DD. authori-

tate

tate & bona ratione firmatur. Nec multum urget, quod unaquæque hora sit per se totum, & convenienter dici possit, ut argumentatur Suar. ex hoc enim non plùs evincitur quàm quòd convenienter ab Ecclesia ita præcipi potuisset; utrùm autem præceptum sit, ita mutilatè Canonicũ officium dicere, nobis non constat, & in dubio potiùs liberatio, quàm obligatio inducenda est. *L. Arianus de O. & A.*

Caput IV.

De Obligatione Parochi dicendi Missam.

1. *Ante Missam debet præmitti Matutinum cum Laudibus, sed non est gravis obligatio.*
2. *Parochus diebus festivis tenetur Missam legere de præcepto, diebus autem ferialibus, tantùm de honestate, nisi habeat amplos reditus & sit Parochus populosæ civitatis.*

3. *Quid faciendum si populus ita nu-*
merosus sit, ut ad unam Missam co-
venire non possit, vel solus Paroch
ad administranda Sacramenta n
sufficiat.

4. *Propter necessitatem moribundi*
test Parochus alteram Missam
dem die celebrare & probabili
etiam post sumptam ablutionem

5. *Qualiter Parochus pro suis Paroc*
anis Missam offerre teneatur,
an pro una Missa possit à duobus
pendium accipere.

6. *Parochus ex fundatione obliga*
ad plures Missas in hebdomade
cendas, si modico tempore impedi
fuerit, non tenetur illas Missas p
solvere per Vicarium.

7. *In Ecclesia polluta non debent sa*
fieri, antequam reconcilietur.

8. *Multorum est sententia, quòd*
solum Missæ sacrificium, quam
non licitè, validè tamẽ reconcilie
Ecclesia polluta,

9. Q

9. *Quid faciendum si Episcopus sit impeditus reconciliare Ecclesiam.*
10. *Quot modis polluatur Ecclesia.*

POst Horas Canonicas recitatas ad Missam procedere potest Parochus; ita enim habent notæ regulæ Missalis, ut propter meliorem dispositionem saltem Matutinum cum Laudibus ante celebrationem præmittatur. Sed cum inter Horas Canonicas & Missam nulla sit necessaria connexio, ideò illam obligationem præmittendi Horas Canonicas plerique DD. non esse gravem existimant, & contravenientem ad summum venialiter peccare, imò nullatenus peccare, si propter necessarias occupationes, aut aliam justam causam Horas commodè præmittere non possit. *Lessius de I. & I. l. 2. c. 37. dubio 12. n. 81.* 1

Circa Missarum lectionem obligatio incumbit Parocho, ut omnibus illis diebus, quibus Parochiani ex præcepto Ecclesiæ Missam audire de- 2

bent, per se vel per alium celebret, quia est communis omnium DD. in æquitate naturali fundata. nam ideò dantur Parocho decimæ, & alij fructus, ut necessaria salutis administret. Quòd verò etiam extra dies festos Parochus Missas legere teneatur, verius est nullum præceptum extare. Interim tamen id utique maximè decens est: imò si populus in aliqua civitate sit numerosus, & Parochus habeat ampliores reditus, eundem per Episcopum cogi posse, ut sæpius in hebdomade celebret, censet Layman *lib. 5. tr. 5. c. 1. sub n. 2.*

Præterea si in aliqua Parochia populus ita numerosus sit, ut ad unam Missam convenire nequeat, vel unus Parochus administrandis Sacramentis sufficere non possit, tenebitur Parochus
3 & per Episcopum cogi poterit, ut alios Sacerdotes sibi ad id munus rectè explendum adjungat. *Trid. s. 21. ref. c. 4.* si autem Parochia fortè pro

pte

pter injurias belli depauperata pluribus Sacerdotibus alendis non sufficeret, licentia datur Parocho (saltem cum consensu Episcopi, ne fiat abusus) uno die duas Missas legendi; sicut etiam si ob penuriam Sacerdotum unus deberet duas Parochias administrare. ut *ex c. consuluisti. de celeb. Miss.* communiter tradunt Interp. in quo cap. permittitur ut Sacerdos ex causa necessitatis uno die possit plures Missas dicere.

Porrò quia in *d. c. consuluisti*, generaliter fit mentio necessitatis, propterea plures casus referunt DD. in quibus sit licitum secundam Missam dicere, qui cum hodie in desuetudinem abierint ut testantur cc. apud Barb. *in d. c. consuluisti in fin.* ideò enarrare omitto, videantur apud Nav. *in Man. c. 25. n. 87. & 93.* inter eos casus ille est præcipuus, qui etiam notatur per Gloss. *in d. c. consuluisti.* Si nimirùm 4
Sacerdos in Missa moneatur quòd ali-

quis moribundus viaticum desideret nulla autem supersit Hostia consecrata: tunc enim (cum in solo pane consecrare non liceat) altera Missa dic poterit. si tamen Sacerdos ante communionem monitus fuerit, non erit necessè alteram Missam incipere, se licebit partem suæ hostiæ ad ægrotum deferre. *Sav. Eucharistia n 15.* Notant autem DD. communiter, quod Sacerdos duas Missas dicturus, in prima non debeat sumere ablutionem. Interim tamē multum probabile censeo, saltem probabilitare intrinsecâ ratione desumpta *c. 4. de fer.* (*neque* enim semper *ex multitudine authorum quod melius judicandum l. 1. §. 6. de vet. Iur. enucl.*) etiam post sumptam ablutionem licitè secundam Missam dici, si v. g. Parochus duas Parochias administrans in primâ Missâ per errorem sumpserit ablutionem, & alteram Missam propter festum & concursum populi absque magno scanda

lo

lo omittere non possit: Item si unus vel plures moribundi Viaticum desiderarent, eò quòd præceptum Ecclesiæ, ne Sacerdos non jejunus celebret, non videatur in casibus tam extraordinarijs cum detrimento aut scandalo fidelium obligare. *Ex his enim quæ forte uno aliquo casu accidere possunt, Iura non constituuntur, nam ad ea potius debet aptari Ius, quæ frequenter, & facilè, quam quæ rarò eveniunt. Verba sunt l. 4. & 5. ff de LL.* sicut ita si Sacerdos in introitu recordetur se jejunum nõ esse, Missam continuare potest. Et plurimùm facit ad mitigandum rigorem legis, quòd solâ ablutione sumptâ Sacerdos adhuc moraliter, & communi hominum acceptione jejunus reputetur, adeòque si iteratò celebret minor irreverentia subsit, quàm si aliud quid per modum cibi sumpsisset. Quemadmodum in simili Sacerdos vovens non bibere vinum, servat votum, tametsi in Missâ sumat ablu-

tionem. *Barb. in c. ex parte de celeb. Miss.* & propiùs ad nostrum propositum, Sacerdos post sumptam ablutionem reperiens particulas, etiam quas scit consecratas, ex receptâ sententiâ eas sumere potest: quamvis autem id dicatur fieri ex eo, quòd censeatur talis sumptio pertinere ad idem sacrificium; nihilominus reverà sumitur Corpus Domini post ablutionem, & quidem sine gravi causâ, cum illæ particulæ possent reponi in aliquâ Capsâ vel Ciborio. sanè si licet mihi Corpus Domini sumere post ablutionem in primâ Missâ sine irreverentiâ, vix adferri potest, cur non etiam ex gravi causâ in secunda, cum suppositâ justâ causâ secunda Missa de se non ponat novam irreverentiam; aliàs nec etiam à jejuno inchoari posset.

Quod ad applicationem sacrificij Missæ attinet, ratio naturalis dictat, & in Concil. Trid. *s. 23. c. 1. in pr.* satis insinuatur, quòd Parochi pro suis qui-

quibus sacrificium Missæ offerre teneantur, attamen id non eo sensu accipiendum est, quod semper totum sacrificium Missæ principaliter pro subditis offerendum sit, & nunquam possit Parochus secundum aliam intentionem celebrare: sed sufficiet si secundariò suarum ovium meminerit, & quandóque arbitrio boni viri principalem intentionem pro eisdem faciat. *Barb. de off. par. 1. c. 11. n. 10.*

Alia est ratio, si quidam ex Parochianis speciale stipendium Parocho offerant, ut pro se Missam faciat; tunc enim acceptans tale stipendium, tenebitur ex justitia secundùm eorum intentionem celebrare. & quidem si Parochus jam uni propter acceptum stipendium obligatus sit vel ex fundatione v. g. Anniversarij jam habeat, necessè secundùm certam intentionem celebrare, non poterit eodem die ab alio stipendium pro Missâ accipere, & ita unâ Missâ duobus satisfacere, nisi is qui stipendium offert hâc

de re certioratus ultrò contentus esse velit. *Laym. de sacrif. Miss. c. 3. n. 4.*

Sed quid si Parochus ex fundatione
6 aliqua debeat in hebdomade unam aut plures Missas dicere, is verò infirmetur, annè tenebitur sui loco alium Vicarium substituere, qui illas Missas persolvat? Existimo tolerabilem esse (maximè in Parochis aliàs tenues reditus & nullum Capellanum habentibus) sententiam Petri Nav. *l. 2 de restit. c. 2. n. 210.* quòd si infirmitas, aut aliud impedimentum, brevi tempore, scilicet per unam aut alteram hebdomadem, imò etiam per mensem, sit duraturum non sit præsumendum quòd fundator voluerit obligare ad compensationem; quemadmodum bonus Dominus non solet propter modicam ægritudinem, aut impedimentum servi, eius mercedem deducere.

7 Postremò breviter adnotare volui quòd si Ecclesiam pollui contingat, Parochus non debeat in eâ Missam facer

cere antequam ab Episcopo reconcilietur, per aquam cum vino, sale & cinere benedictam. Volunt tamen aliqui si semel post pollutionem Missæ 8
sacrificium in Ecclesiâ pollutâ sive bonâ sive malâ fide (quamvis hoc sine peccato mortali fieri nequeat) celebratum sit, jam Ecclesiam propter infinitam virtutem tanti sacrificij haberi pro reconciliata & etiam imposterùm in eâ Missas fieri posse *Sa. v. Ecclesia. n. 19. Castro. de lege Pœn. l. 2. c. ult.* quæ sententia licèt non habeat in Jure aliquod speciale fundamentúm, nihilominus propter authoritatem DD. qui eam sequuntur, & ut aliquid amplius tribuatur sanctissimo Missæ sacrificio, non videtur omnino damnanda, cum nullo expresso Juris textu reprobetur.

Quid autem fiet si Ecclesia polluta 9
à civitate Episcopi longè distet, neque is propter impedimenta & negotia ita tam citò eam reconciliare, aut alteri

Episcopo potestatem reconciliandi dare possit, annè interea Parochiani sacrificio & sepulrurâ privabuntur? Non est penitùs improbabile quòd Episcopus dispensativè possit dare licentiam interim Missas legendi, vel cadavera sepeliendi, etiam in Ecclesiâ pollutâ, si alia non adsit, úsque dum ipse reconciliet: ut ex alijs authoribus refert *Eman. Sà. v. Ecclesia n. 19.* quia prohibitio non celebrandi in Ecclesia polluta est constitutio Juris positivi & reconciliatio est ceremonia Jure Ecclesiastico introducta, in quo Jure etiam Episcopus dispensare potest, si instans sit alique necessitas, & propter dilatam dispensationem fideles aliquod damnum corporale vel spirituale incurrere deberent, *Barb. de off. Episcopi. alleg. 34. n. 23.* Illud autem, quòd *Sà. d. l. n. 20.* putat, Episcopum posse reconciliationem Ecclesiæ jam consecratæ (aliud foret si nunquam consecrata fuisset *Henriq. l. 9. c. 27. n. 6.*) alicui

Sacer-

Sacerdoti demandare, pugnat contra expressum textum *in c. aqua. 9. de Consec. Eccles.* ubi reconeiliatio Ecclesiæ dicitur actus ordinis Episcopalis, & propterea Sacerdoti, qui non sit Episcopus demandari non posse, consuetudinem quoque contrariam potiùs esse corruptelam.

Speciale esse posset circa Fratres Minores, ut illis reconciliatio alicujus Ecclesiæ pollutæ per Episcopum rectè delegetur, quia dicuntur habere privilegium à Leone X. concessum, ut Ecclesias consecratas si pollutæ fuerint, possint aquâ per Episcopum benedictâ reconciliare. *Roderiq. Tom. 1. reg. qq. 19. ar. 6. Henriq. d. n. 6.* Polluitur 10 autem Ecclesia per sepulturam excommunicati, vel infidelis, sanguinis, aut seminis effusionem

Igitur 1. Si excomunicatus vel infidelis sepeliatur in Ecclesia vel cæmiterio, ejus cadaver exhumari (dummodo ab alijs dignosci possit) & Ecclesia

clesia vel Cæmiterium reconciliari debet, nec prius aliquis etiam Catholicus ibidem sepeliri vel sacra fieri possunt *c. Ecclesiam de consec. dist. 1. c. consuluisti 7. de consec. Ecclesiæ vel Alt.* Quid autem hodie post Extravag. Mart. V. dicendum sit de excommunitatis non denunciatis, inferiùs in part. 3. in c. de sepulturis commodiùs explicabo.

2. Per omne homicidium injuriosum (etiam alicujus sancti Marryris *Vall. hoc Titulo n. 5.*) in Ecclesiâ quocunque modo etiam per suffocationem factum polluitur Ecclesia. *c. proposuisti de consec. Eccles. & Gloss. in c. in eod. in 6.* dico injuriosum, unde per homicidium vel casu vel causa defensionis vel ab amente aut infante facti non censetur fieri pollutio, quia cum nō sit delictum in occidente non videtur fieri irreverentia Ecclesiæ. Præterea etiá non polluitur Ecclesia, si qui extra Ecclesiam vulneratus in eadem

mor-

moriatur, vel si in ea constitutus aliquem extra illam jaculo conficiat, in pœnalibus enim termini sunt strictè accipiendi. Polluitur verò, si is, qui foris est, in Ecclesia existentem occidat, nam tunc homicidium propriè quoad perfectionem & consumationem suam in Ecclesia contingit. Item polluitur non tantùm per mortem, sed etiã per vulnerationem, aut per quamcunq; injuriosam percussionem, unde sequatur copiosa sanguinis effusio, tametsi sanguis pavimentum non contingat, sed in vestibus absorbeatur. levis tamen percussio injuriosa non sufficit ad pollutionem, quamvis propterea sanguis ex naribꝰ distillet. *ut apud Pan. Zoes & cõmuniter DD. ad tit de Consec. Ecclesiæ pluribus videre est.*

3. Similiter per seminis humani profusionem sive cum sive sine complice factam polluitur Ecclesia, dummodò ea aliquo modo notoria & saltem per famam aut opinionem hominum

minum publicata sit. *arg. c significasti. de adult.* non autem sufficit si v. g. solus Parochus ex confessione sciat, vel aliqui tantùm ex Parochianis, penes quos non sit periculum divulgationis *Sà, v. Ecclesia. n. 19.*

Est porrò circa has duas posteriores pollutionis species advertendum, non pollui Ecclesiam si vel supra illâ in tecto, vel intra eandem in aliqua crypta, aut juxta eam in campanili vel sacristia (dummodò hæc ab ipso corpore Ecclesiæ distincta, & moraliter separata sint) pollutio contingat, quia ut supra dictum, in materia odiosa termini sunt strictè accipiendi. Et demùm pollutâ Ecclesiâ censetur quidem pollutum quoque cæmiterium tanquam accessorium non verò è converso, quia accessorium non trahit ad se principali *c. un. hoc. titulo in 6. vid. Sanch. de Matrim. lib. 9. disp. 15. à n. 21.*

Caput V.

De Obligatione Parochi prædicandi verbum Divinum.

1. *Diebus festivis non debent negligere Parochi Conciones, & instructionem puerorum.*
2. *Quid in Concionibus proponendum.*
3. *Non tenentur hodie Parochiani Missam & Concinones diebus festivis in propriâ Parochiâ audire, videtur tamen decere, ut aliquoties in anno propriam Parochiam accedant.*

VErbi Divini prædicatio utique ad munus pastorale quàm maximè pertinet, ideò instanter præcipit *Concil. Trid. s. 5. de ref. c. 2. s. 22. de sacrif. Miss. c. 8. & s. 24. de ref. c. 4.* ne saltem dominicis, & festivis diebus Conciones negligant Parochi, & ut pueros rudimenta fidei, & obedientiā ergà Deum & parentes diligenter doceant. 1

Porro

Porrò ex eodem Concil. Trid. est advertendum Parochis, ut in Concionibus suis *postpositis inutilibus quæstionibus* doceant plebem cum brevitate, & facilitate sermonis, quæ scire necessaria sunt ad salutem, vitia quæ declinare, & virtutes, quas sectari oporteat. Specialiter *in d. s. 22. c. 8.* jubetur *ut frequenter* Parochi *ex ijs, quæ in Missa leguntur, aliquid exponant, ac inter cætera sanctissimi hujus sacrificij Mysterium aliquod declarent.* Item *in decreto de purgat. s. 25.* mandatur Episcopis *ut sanam. de purgatorio doctrinam, à SS. Patribus & sacris Conciliis traditam à Christi fidelibus credi, teneri, doceri, & ubique prædicari, diligenter studeant. Apud rudem vero plebem difficiliores, ac subtiliores quæstiones, quæq; ad ædificationem non faciunt, & ex quibus plerúmque nulla pietatis accessio a popularibus Concionibus secludantur. Incerta item, vel quæ specie falsi laborant, evulgari, ac tractari*

rino

ri non permittant. Ea verò quæ ad curiositatem quandam, aut superstitionem spectant; vel turpe lucrum sapiunt, tanquam scandula, & fidelium offendicula prohibeant.

Cæterùm lirèt de jure videatur requiri, ut Parochiani non alibi, quàm in suâ Ecclesiâ parochiali Missas & Conciones audiant. *c. 2. de Parochiis & Trid. in Decret. de obser. & Evit. in Missa s. 22. & in d. s. 24. c. 4.* Hodie tamen per privilegia regularium & contrariam consuetudinem passim huic juri derogatum est, ita ut Parochiani satisfaciant, si alias Ecclesias, præsertim Regularium, frequentent, dummodò proprium Parochum non contemnant. *Barb. de off. Par. p. 1. c. 11. n. 24. & seqq. & c. 15 n. 11. & 14 in fin.* Ne autē quis censeatur proprium Parochum contemnere ratio naturalis suadere videtur ut saltem aliquoties in anno missas & Conciones eiusdem audiat. vix enim est, ut non habeatur

filius

filius contumax, qui toto anno Patrem non invisit: Ovis erratica, quæ nunquam vocem proprij pastoris exaudit. *Zyp. in Anal. Iur. Pont. in tit. de Parochijs sub. n. 2.*

Caput. VI.

De Obligatione Parochi & Parochianorum observandi Festa.

1. *Festa instituere potest etiam Episcopus.*
2. *Festa instituta ab Episcopo etiam ab exemptis observanda.*
3. *Præceptum de observatione Festorum duplex.*
4. *Quænam dicantur opera liberalia, & quæ servilia.*
5. *In quibus casibus liceat in die festo opus servile facere.*
6. *Ut opus servile in festo licitè fiat, requiritur consensus Episcopi vel saltem Parochi.*

7. Fe-

7. *Festum incipit à media nocte, & durat usque ad mediam noctem.*
8. *Quæ causæ excusent ab auditione Missæ in die festivo.*
9. *Dies festi non sunt agendi per luxũ & comessationes.*
10. *Nullæ insolitæ imagines, miracula, aut reliquiæ inconsulto Episcopo recipiendæ.*

FEsta instituere non tantùm potest summus Pontifex, sed etiam Episcopus in sua Diecœsi, dummodò instituat de aliquo Sancto ab Ecclesia Canonizato vel saltem ab antiquissimis temporibus pro sancto habito. quamvis autem si Episcopus festa instituere velit, videatur de Jure requiri Cleri & populi consensus, ut *ex textu* c. *ult. de feriis.* advertunt DD. ne populus festorum multitudine gravetur, & à laboribus impediatur; de consuetudine tamen ubique ferè receptum est, ut populi consensus non requiratur *Azor. to. 2. l. 1. c. 26. q. 1.* II

Potest

Potest autem Episcopus festa insti-
tuere, vel à se vel à suis antecessoribu
instituta ita moderari, ut tantùm ob
serventur die media, id est anteprandi
um post meridiem autem liceat ope
rari. *Azor. d. l. q. 5.* idque tunc plu
rimùm rationabile censeo, si aliàs fes
valdè multa sint, ac experientia con
stet tempus pomeridianum festorum
tantùm per luxum, & compotationes
2 transigi. Porrò festa ab Episcopo in
stituta non tantùm ab illis, qui sunt d
Jurisdictione Episcopi, sed & ab ex
emptis omnibus etiam regularibus se
vari debent *juxta constit. Concil. Tri
s. 25. de regul. c. 12.*

3 Præceptum de observatione festo
rum est duplex, unum *negativum* alte
rum *affirmativum*: *negativum* præcep
tum est, quòd prohibet, ne die festo
pera *servilia* exerceantur; *affirmati
vum*, uts omnes fideles usum ration
habentes in festis Missam audiant c.
*de fer. c. omnes fideles, & c. Missas di
1, de consecrat.*

No

Notanter dixi, ex præcepto *negativo* opera *servilia* esse prohibita. quamvis enim in veteri testamento *omne opus* in sabbatho interdictum fuerit Judæis. *Exod. 30. & Deutron. 5.* quia tamen illud præceptum partim fuit morale, partim ceremoniale (ceremonialia autem veteris testamenti per adventum Christi exspirârint *c. unico de purificat. post partum*) ideò per Ecclesiam ad sola opera *servilia* mitigatum, & restrictum fuit *Laym. in Theologia moral. l. 4. tract. 7. c. 1. n. 1. & c. 2. n. 2.* dicuntur autem opera *servilia* quæ corporis commoditatibus inserviunt, & per servos ac famulos exerceri solent, ut sunt opera rustica, & mechancia: écontra opera *liberalia* dicuntur illa, quæ sunt libero homine digna, & magis ad excolendum vel oblectandum animum faciunt: atque hæc sub præceptum illud negativum non cadunt, tum quòd ipsum præceptum limitetur ad opera servilia, tum quòd

sint

sint ignobiliora, & minùs dignè cum cultu Dei conjungantur. unde licebit in die festo studere, docere, scribere, musicam exercere, item recreationis causa pingere, venari, piscari, saltem si sine multis operis ac labore talis piscatio, vel venatio fiat. *Nav. in Manual. c. 13. n. 11.* Mercatus autem seu nundinatio, quamvis non sit opus servile tamen prohibetur in *c. 1. de feriis*, sed consuetudine passim contrarium obtentum est, ut in certis festis præsertim in anniversario dedicationis Ecclesiæ nundinæ habeantur, quæ consuetudo ita moderanda erit, ut negotiationes non instituantur antequam officium divinum in Ecclesia persolutum sit. Præterea iter facere pedibus, curru, equo, navi nec opus servile, nec propriè liberal est, sed potiùs naturale & medium quare, & id in die festo licebit. plaustra verò aut jumenta mercibus onerare, & agere servile opus censetur, ne

in die festo licebit inchoare, inchoatum autem continuare, si commodè abrumpi non possit, conceditur. *Declaratio Cardinal. quam refert Barb. de officio Episcopi alleg. 105. n 40.*

Aliquandò tamen ex causâ *pietatis* vel *necessitatis* licet etiam diebus festivis opera *servilia* peragere, *c. fin de ferijs* Ex causâ *pietatis* si v. g altaria ornanda, vel alia ad festivitatem paranda sint. Ex causâ *necessitatis*, si res ad vitam necessaria, vel tempore peritura sit, qua ratione excusantur pauperes, qui si in festis à labore abstineant se suámque familiam sustentare non possunt, Item agricolæ cúm ob pluviam superventuram segetes, at fœnum congregant, vel aliud grave damnum vitandum ruri laborant. similiter si pauperes famuli & ancillæ diebus festivis suas vestes reficiant &c. est quandóque etiam *necessitas publica* v. g. reficiendi pontes, pontes, piscandi certum piscium

5

um genus, quod non nisi certis an
temporibus capitur *juxta c. licet. d*
feriis. si paranda sint aliqua ad com
munem populi festivitatem v. g. i
adventu principis &c.

Sed non sufficit, ut causa *piet*
aut *necessitatis* subsit, nisi insuper co
sensus Episcopi accedat, præsertim si
pus *servile* in publico faciendum,
6 per longum tempus duraturum sit,
paulatim prætextu necessitatis lib
contra festorum obligationem pecc
tur. *Declarat. Card. apud Barb. a*

Sin autem periculum in mora
vel Episcopus propter distantiam
modè adiri non possit, solam justi
causæ vel ad summum, si causa ali
modo videatur dubia, licentiam P
chi sufficere, communis est senten

Cæterùm hîc advertendum est,
vis *in c. 1. de feriis*. dicatur, quòd
dominica à vespera in vesperam
omni veneratione observanda sit,
hilominus in Europa esse recepti

quòd festa quoad abstinentiam à servi-
libus operibus computentur à media 7
nocte usque ad alteram mediam no-
ctem, testatur Panor. *in c. 5. de feriis.*
Covar. *var. res. lib. 4 cap. 19. n. 9.*
talem autem consuetudinem valere
& attendendam esse, textus est *in c. 2.*
de feriis.

Alterum præceptum scil. *affirmati-*
vum de audienda Missa tanquam hu- 8
manum, & positivum, non obligat
cum tanto rigore, ut nullo modo quis
ab eo excusetur. etenim non tantùm
impotentia physica (qualis est in mari
navigantium, incarceratorum, lecto
affixorum, & similium) sed etiã mo-
ralis, & arbitrio prudentis viri gravis,
excusat ab audienda Missa. dicitur
autem moralis impotentia, quando,
licèt non subsit absoluta impossibili-
tas, subest tamen magna difficultas
propter periculum amittendæ valetu-
dinis, aut rei domesticæ, alteriúsve da-
mni spiritualis aut corporalis subeun-

di. unde excusantur qui infirmi sunt
aut infirmis serviunt, qui tempore pe
stis se domi continent, item matres
ancillæ quæ infantibus assistunt, q
propter distantiã templi domum pe
riculosè deserunt &c. pudor quoque
gravis sit secundùm communem se
tentiam ab audienda Missa excusa
puta si mulier honesta cum dedeco
sui status non honestè vestita sit, vel
aliqua bonæ existimationis, ex delic
prægnans appareat &c. Consuetu
do etiam quandoque excusat, si v.g.
aliquibus locis vidua vel puerpera p
aliquod tempus templum ingredi n
soleat, de quibus omnibus prolixè
deri poterunt DD. antea cc.

Postremò huic capiti adscribend
duxi verba valde notanda Concil
Trid. *s. 25. in decret. de invoc. &*
ner. Sanct. Omnis superstitio, inq
Concil. *in Sanctorum invocatione,*
liquiarum veneratione & imagin
sacro usu tollatur, omnis turpis qua

eliminetur, omnis denique lascivia vitetur, ita ut procaci venustate imagines non pingantur, nec ornentur, & Sanctorum celebratione, ac reliquiarum visitatione homines ad comessationes, atq; ebrietates non abutantur, quasi festi dies in honorem Sanctorum per luxum ac lasciviam agantur. Hac ut fideliùs observentur, statuit sancta Synodus, nemini licere ullo in loco vel Ecclesia, etiam quomodolibet exempta, ullam insolitam ponere imaginem, nisi ab Episcopo approbata fuerit, nulla etiam admittenda esse nova miracula, nec novas reliquias recipiendas, nisi eodem recognoscente & approbante Episcopo &c.

PARS II.

De administratione Sacramentorum per Parochum facienda.

Circa Sacramentorum administrationem omitto ea, quæ DD. Theologi de institutione, materia, forma, speculativè & prolixiùs exponunt, illa solummodo breviter notaturus, quæ ad practicam Sacramentorum administrationem pertinere censentur. Proinde sit

Caput I.

De Baptismo.

1. *Infans debet baptizari, quamprimum commodè potest.*
2. *Minister Baptismi non solennis est omnis homo ratione præditus, dummodo habeat intentionem faciendi quod facit Ecclesia, solennis autem*

Baptismi ministri sunt Episcopi & Sacerdotes quandoq; etiam Diaconi.

3. *Præsente digniore non debet baptizare inferior.*

4. *Circa Sacramenta extra casum necessitatis semper tenenda est sententia probabilior.*

5. *In casu necessitatis probabiliter licet baptizanti uti materia dubia.*

6. *Item abluere partem baptizandi non principalem.*

7. *Quando dubium occurrit de Baptismo legitimè collato debet repeti sub conditione.*

8. *In necessitate à Laico baptizatus nõ debet baptizari, nisi rationabile dubium subsit de valore baptismi.*

9. *Non baptizatus salvari potest per baptismum flaminis.*

10. *Monstra quomodo & qualiter baptizanda?*

11. *Baptismus debet conferri in Ecclesiis. fallit in filiis magnatum.*

12. *Patrinus tantùm debet esse unus, vel ad summũ unus & una.*

13. *Non requiritur certa ætas in Patrinis.*

14. *Parochus hortari debet, ut baptizando detur nomen alicuius Sancti, cuius tutelæ committatur.*

NOn repeto hîc quibuscum solennitatibus & cæremonijs Baptismus conferendus sit, nam suppono in his Parochos sufficienter ex suo Pastorali libro instructos esse: sed quasdam tantùm in dubijs, quæ circa praxim Baptismi frequentiùs occurrere possunt, resolutiones subnotabo.

Not. igitur est 1. quòd parentes & alij, qui curam infantium gerunt, obligentur, ut eos, quàm primùm cõmodè
1 possunt, ad baptismum afferant, nulla tamen certa dies determinatur, in qua infans baptizandus sit, propterea consuetudinem singularum Ecclesiarum attendendam monet Laym. *in Theol. mor. lib. 5. tr. 1. c. 6. sub. n. 8.* imò Sotus *dist. 5. q. un. art. 3.* non improbat illorum morem, secundùm quem

Ba-

Baptismus in 8. 10. etiam 12. diem differtur. Sed tam longam dilationem ego semper dissuaderem, quamvis enim non semper appareat periculum præmaturæ mortis, semper tamen prudenter timeri debet, ne infans æternæ salutis jacturam patiatur, cum improvisæ mortis quotidiana sint exempla.

Not. est 2. quòd minister Sacramenti Baptismi sit omnis homo ratione præditus, etiam non orthodoxus, dummodo habeat generalem intentionem faciendi, quod facit Ecclesia, & adhibeat materiam & formam essentialem. *c. in necessitate. c. Romanus. dist. 4. de cons. Trid. sess. 7. de Baptismo. can. 4.* ita tamen, ut inprimis solennem Baptismum cum ordinarijs Ecclesiæ cæremonijs tantùm Episcopi & Sacerdotes conferre possint, & etiã juxta probabilem sententiam, Diaconi, si illis ob rationabilem aliquam causam Baptizatio à proprio Sacerdo-

te commissa fuerit. *Gl. in c. Diaconos. dist. 93. Laym. d. l. c. 7. n. 3.* Alij verò inferioresClerici &Laici non nisi in casu necessitatis, quando scilicet præsens periculum mortis subest, ad baptizandum cum simplici adhibitione, immersione, vel affusione aquæ, & prolatione verborum sine alijs solennitatibus ad baptizandum admittuntur. eo quoque ordine (ad honestatem, non verò valorem Sacramenti) observato, ut præsente Presbytero non baptizet Diaconus, nec præsente Diacono inferior Clericus, nec præsente Clerico Laicus, nec præsente viro fæmina. *c. mulier. & c. in necessitate. dist. 4. de consec.*

Not. est 3. quòd in extrema necessitate multa liceant baptizanti, quæ aliàs minimè licerent. Etenim extra casum necessitatis minister Sacramenti in his quæ ad substantialia Sacramenti pertinent, non quamcunque opinionem probabilem sed semper certiorem

&

& probabiliorem ſequi debet; at verò in caſu neceſſitatis etiam probabilem aliquam practicare poteſt; quia utique meliùs eſt, dubiam facere ſalutem infantis morituri, quàm deſperatam relinquere, eo ferè modo, quo medici in agone omnia tentant, ut æger reconvaleſcat. nec eſt quòd tali caſu irreverentia Sacramenti timeatur, utpote quam probabilitas ſententiæ, zelus animæ ſalvandæ, periculum & timor inſtantis mortis penitus excludit, *non enim intervenit temeritas præſumptionis, ubi eſt diligentia pietatis.* inquit Pont. *in c. ſi nulla diſt. 4 de conſ.* unde

Not. eſt 4. quòd baptizans ſemper quidem adlaborare debeat, ut materiam certam adhibeat, videlicet *aquam elementarem*; Interim tamen ſi talem habere nequeat, & infans jamjam 5
agonizet, probabiliter etiam materiâ dubiâ uti non prohibetur: cuiuſmodi materiæ dubiæ cenſentur aquæ ex herbis diſtillatæ, juſculum aut cereviſia te-

niter cocta, lixivium & similes. *Conin. ap. Cast. Pal. de Bapt. pun 3. n. 2.* pariter

Not. est 5. quamvis communiter teneant DD. quòd ad valorem Baptismi requiratur, ut nisi totus homo, saltem principalis aliqua pars ipsius abluatur, ut caput, vel pectus, & ita quidem ut aqua ad ipsum corpus pertingat. Nihilominus in casu necessitatis etiam
6 v.g. manui quam infans ex utero matris exerit, vel pelli secundinæ cui involutus est, aquam aspergi posse, plerique consentiunt. Imò licèt aliàs totaliter in utero matris existens cum matre baptizari nequeat, *quia qui natus adhuc secundùm Adam non est renatus secundùm Christum non potest* ut dicitur in *c. qui in maternis dist. 4. de cons.* Si tamen obstetrix tam perita foret, ut manu in uterum insertâ, prolis corpus aquâ perfundere possit una cum prolatione verborum baptismi id omnino tolerandum docent plures apud Laym. *d. l. c. 3. sub n. 2.*

Not.

Not. est 6. quòd Baptismus ordinariè sine sacrilegio repeti non possit, quia est de illis Sacramentis, quæ characterem in anima recipientis imprimunt, sicut est Confirmatio & Ordo *Trid. sess. 7. de Sacram. in genere. can.* 9. Dico autem ordinariè: nam quoties dubium *facti* occurrit, an aliquis 7
sit aliquando baptizatus, v. g. infans expositus vel à matre in captivitate infidelium constitutâ natus, &c. aut dubium *Iuris* an quis sit legitimè baptizatus, v. g. si sit baptizatus cum materia aut forma dubia vel in parte nõ principali, vel quòd aqua corpus nudũ non contigerit, vel denique baptizans ex post facto convictus aut confessus fuerit, quòd plurimos illegitimè baptizârit, his & similibus, inquam, casibus baptismus repeti potest, & debet, non quidem absolutè, sed sub illa conditionata forma verborum, quæ præscribitur in *c. 2. extra de baptismo*, videlicet, *si baptizatus es, non te baptizo, si nondum*

dum baptizatus es, ego te baptizo &c. unde monet Barb *de off. Par. p. 2. c.* 17. quòd si infans domi in casu necessitatis baptizatus sit, parochus diligenter inquirere debeat, quis, quâ materiâ, quâ formâ, in quâ parte corporis &c. baptismum contulerit. Sed quid dicendum de illa consuetudine, quæ in quibusdam locis viget, quòd omnes infantes in casu necessitatis ab obstetricibus baptizati cessante periculo denuò sub conditione per Parochos rebapti-
8 zentur? ℟. id quidem fieri debere, ut infantes in necessitate à Laicis baptizati cessante periculo ad Ecclesiam deferantur, & ibi unctiones aliæq; solennitates adhibeantur. *c. Spiritus S. §. ecce. 1. q. 1. Sà. v. baptismus. n. 5. Zoes. in tit. de baptismo in fin.* Sed ipsa substantialia baptismi non aliter repetenda sunt, quàm si aliqua saltem rationabilis suspicio intersit baptismum non esse modo legitimo per Laicum collatum, ut quia persona rudis est

ver

verba inconsueta protulit, vel si experientiâ constet in aliquo loco complures esse obstetrices veneficas, quæ studio baptismum invalidum conferant. *vid. Cathecism. Rom. Py V. de baptis. p. 2. c. 2. n. 43.* Cæterùm à fidelibus parentibus natus, & inter fideles educatus, quamvis de ipsius baptismo certò non constet, nihilominus tam violenter præsumitur, quòd fuerit baptizatus, ut hæc præsumptio pro certitudine sit habenda, donec evidentissimis argumentis contrarium probetur. *c. veniens. in fin. de presb. non bapt.* neque in tali periculum damnationis subest, si forsan reverà baptizatus 9
non sit, quia per baptismum *flaminis* salvatur, si verum desiderium Baptismi habeat, sicut ille, qui baptizari desiderans morte prævenitur, de quo S. Augustinus *in c 2. de presb. non bapt.* dicit, *Baptismus invisibiliter ministratur, quem non contemptus religionis, sed terminus necessitatis excludit.*

Not.

Not. est 7. quòd, si contingat ali-
10 quod monstrum nasci (ut nonnunquã ex congressu cum bestijs fieri solet) tũc antequam baptismus conferatur, diligenter inspiciendũ sit, an partes principales talis monstri videl. caput & pectus hominis figuram referant, nec ne; quòd si non referant, Baptismus quoque conferendus non erit; sin autem aliqualiter dubitetur, dilatio facienda est, usque dum natura talis partus meliùs innotescat, vel certè si periculum mortis instet baptizationi conditio adijcietur: *Si tu es homo, ego te baptizo &c.* Sed quid observari debet si partus propterea sit monstrosus, quòd videatur ex gemellis concretus? ℟. distinguendum esse an certò constet, esse duos homines, ut qui habent duo diversa capita, quatuor pedes diversos: vel certè dubitetur, ut quia unum tantùm caput & duo pectora apparent, &c. priori casu utrique homini suus proprius Baptismus

spe-

specialiter impertiendus est. Altero verò casu Baptismus usque ad meliorē cognitionem differri debet, vel instante morte una pars potest simpliciter baptizari, & altera sub conditione, *si non es baptizatus, &c. Laym. ubi supra. c. 6. n. 13. Cast. Pal. de bapt pun. 6. n. 4.*

Not. est 8. quòd Baptismus non 11
debeat conferri, in aulis, vel cameris, vel alijs privatis domibus, sed duntaxat in Ecclesia, ubi sunt ad hoc fontes specialiter deputati, nisi tamen subfuerit necessitas ob quam infans absque periculo ad Ecclesiam deferri nequeat, vel nisi fuerint Regum, aut Principum filij, quibus etiam conceditur ut domi suæ baptizari possint. *Clem. un. hoc tit.* imò quod de Principibus dicitur, tanquam in materia favorabili ad alias personas illustres, & potentes extendunt quidam apud Mascard. *de prob. concl. 1001. n. 4.* quod tunc saltē admittendum videtur, si talis in aliquo loco consuetudo vigeat, ut personarū illu-

illuſtrium filij in ſuis ædibus vel palatijs baptizentur.

12 Not. eſt 9. quòd de Jure communi non niſi unus ſive vir ſive mulier baptizatum de ſacro fonte ſuſcipere poſſit. *c.un. de cogn. ſpir. in 6.* vel ad ſummum unus & una, ut noviſſimè ſtatuit Conc. Trid. *S. 24. de ref. Matr. c.2.* quare in eodem *c.* 2. Trid. ulteriùs cõſtitutum eſt, ut Parochus, antequam ad Baptiſmum conferendum accedat, diligenter de electis patrinis interroget, neque plures quàm in Concilio determinatum admittat, deinde verò in libro eorundem nomina deſcribat, doceatque eos quam cognationem ſpiritualem contraxerint &c. Porro in his patrinis nullam certam ætatem requiri, dummodo rationis capaces ſint

13 & fideles Catholici, homineſque boni teſtimonij, communiter docent authores, ut videre eſt apud Barb *de off. Par. p. 2. c. 17. n. 27 & ſeq.* nam licèt in adoptione legali ubi de ſucceſſione he-

hereditaria & subjectione adoptati ad adoptantem agitur (ubi proinde inconveniens est majorem minori subijci, eique succedere) requiratur, ut adoptans adoptatum plena pubertate, id est, 18. annis præcedat. §. *minorem*, *inst. de adopt.* Alia tamen est ratio in Baptismo, ubi est quædam regeneratio in Christo, in quo non differt masculus à fœmina, juvenis à sene, & ideo potest quilibet effici pater spiritualis alterius, si ad spiritualem illius regenerationem eo quo requiritur modo, concurrat, ut etiã advertit Sanch. *de matr. l. 7. disp. 61.*

Demùm, quod attinet ad nomen baptizandi, utique inconveniens est, si 14
id potiùs ab aliquo gentili, quàm Sancto ducatur: propterea rectè monet Barb. *de off. par. d. p. 2. c. 17. n. 20.* ut Parochus hortetur patrinos, & deferentes infantẽ, quatenus ei nomen alicujus Sancti imponant, cujus patrocinio & tutelæ vita ipsius inter tot humanos casus commendata sit.

CAPUT

CAPUT II.

De Pœnitentia.

1. *Parochus quoad curam animarum debet esse approbatus ab Episcopo, vel habente jurisdictionem Episcopalem.*
2. *Approbatio sicut & dispensatio non tantũ verbis, sed & facto fieri potest.*
3. *Approbatus quoad unam parochiam non est approbatus quoad totam diœcesim, fallit de consuetudine.*
4. *Confessiones suorum subditorum potest parochus etiam audire extra suam parochiam.*
5. *Capellani parochorum debent esse approbati ab Episcopo loci ubi serviunt.*
6. *Communi opinione hominum habitus pro legitimo Capellano validè absolvit.*
7. *Quo Iure possit parochus ad breve tempus tenere Capellanum non approbatum.*

8. Qui-

8. *Quibus possit Parochus administrare Sacramentum pœnitentiæ.*

9. *Parochus debet audire confessiones, quoties parochiani rationabiliter petunt.*

10. *Parochus non debet esse difficilis in concedenda licentia, ut parochianus alteri confiteatur.*

11. *In casibus reservatis Parochus non habet jurisdictionem.*

12. *fallit in articulo mortis.*

13. *Periculum mortis evadens an teneatur pro nova absolutione adire superiorem.*

14. *Pro pœnitente, qui persuaderi non potest, ut adeat superiorem, debet Parochus impetrare licentiam absolvendi.*

15. *An habens casum reservatum, ita præcisè debeat mitti ad Superiorem, ut non possit mitti ad alium habentem licentiã absolvendi à reservatis.*

16. *Quæ sit distinctio inter jurisdictionem prorogatam & delegatam.*

17. in

17. *in foro interno prorogatio jurisdictionis non habet locum sine licentia proprij Ordinarij.*

18. *Quid statuendum si habens casus reservatos sit ex aliena diœcesi.*

19. *Qualiter verum sit, quòd judicium feratur secundum leges loci.*

20. *Casus reservati an durent post mortem Episcopi.*

21. *Casus papales omnes habent censuram annexam, & ideo excusatus à censura, excusatur etiam à reservatione.*

22. *Excusatus à mortali, excusatur à censura.*

23. *Ignorans censuram quamvis sciat actum prohibitum, ex aliquorum opinione excusatur à censura, quia in censuris requiritur contumacia.*

24. *Multæ censuræ non sunt usu receptæ.*

25. *Lex non recepta non ligat, & recepta per contrariam consuetudinem abrogari potest.*

26. Bul-

26, Bulla Cœnæ alicubi non est recepta.

27. De stylo Curiæ Bullæ Romæ tantum promulgatæ ligant ubique.

28. Excommunicatio non incurritur propter actum merè internum.

29. Casus Papalis propter difficultatem fit Episcopalis.

30. Propter privilegia quorundam plerumque non est necesse pœnitentem mittere Romam.

31. Per S. Congreg. Episc. privilegia Regularium sunt limitata.

QUaliter hoc Sacramentum administrandum sit, & quomodo cum pœnitentibus agendum, de gravitate peccatorum judicandum &c. apud Theologos legendum erit, quorum passim hac de re Tractatus extant. Ego tantùm ea, quæ ad *Iurisdictionẽ* Parochi in administratione hujus Sacramenti pertinent, illâ, quâ soleo, brevitate resolvam. Igitur

Not. 1. quòd Parochus sive sæcularis sive regularis, ut Jurisdictionem

fori

fori pœnitentialis respectu sæcularium personarum ante omnia debeat esse approbatus ab Episcopo. *Trid. S. 23.*
1 *de ref. c. 15.* Nomine autem Episcopi veniunt etiam inferiores Prælati Jurisdictionem quasi Episcopalem, vi specialis territorij, privilegij, vel præscriptionis habentes *Trid. S. 25. de Reg. c. 11. in fin.* videantur, quæ circa præscriptionem pulchrè tradit Panorm. *in c. cùm non liceat. circa fin. de præscript. tex in c. auditis. 15. & c. cùm olim. 18. eod. tit. Barb. in d. c. 15. Trid. n. 23.* Quòd si cura personarum sæcularium sit annexa Monasterio ubi Abbates, Generales, aut Capita Ordinum sedem principalem ordinariam habent, tunc etiam de ipso Concilio Trid. Episcopi approbatio non requiritur, *ut clarè dicitur in sess. 25. de Regul. c. 11.*

Porro confertur approbatio non
2 tantùm per verbalem contestationé sed etiam per ipsam actualem paro-

chia

chiæ collationem & hoc ipso, quòd Episcopus alicui parochiam conferat eundē approbare censetur, quia *in sess. 23. cap. 15.* sub disiunctione requiritur, ut aliquis vel approbationem *per examen, si videbitur necessarium*, obtineat vel *Parochiale beneficium habeat*. prout in simili dispensatio nonnunquam ipso facto sine expressione verborum conceditur, quando in aliquem habentem defectum, actus positiuus per dispensatorem exercetur, qui actus sine dispensatione diceretur non legitimè factus v. g. si Episcopus illegitimè nato scienter conferat minores Ordines & simplex beneficium, quod facere potest *jux. c. 1 de filijs presbyt. in 6.* ita quoq; *ex L. imperialis 23. §. similes 4. C. de nupt.* notant Gottof. & DD. famam tacitè restitui illi infami, cui Imperator dignitatem aliquam dedit.

Not. 2. quòd, licet ex communi sententia Parochus approbatus quoad unam Parochiam, non propterea

censeatur approbatus quoad totam
diœcesim *teste Piasec. in praxi Episc. p*
2. c. 1. n. 10. Nihilominus si aliquis vi
tute Bullæ Cruciatæ aut Iubilæi posse
sibi eligere quemcunq; Confessariu
approbatum etiam talem Parochu
eligere non prohiberetur, quamvis
3 aliàs ipsius Parochianus non esset. I
tem Consuetudine passim receptum
est, ut ab uno Parocho possit alteri Pa
rocho cura in sua Parochia cõmitti
delegari, ut ita unus Parochus alteriu
Parochi ad breve tempus absentis vi
ces supplere possit. id quod non tan
tùm in duobus Parochis in eadem
diœcesi, sed etiam in confinio du
rum diversarũ diœcesium constitu
procedere quidã existimant. *vid. L*
in tract. de Pœnit. disp. 21. sect. 1. n.
quam opinionem confirmat notum
Juris axioma, quod Consuetudo tr
buat Jurisdictionem. *c. dilecti. 4.*
Arbit c. cùm contingat. 13. De f
comp.

N

Not. 3. quod Confessiones suorum Subditorum possit Parochus etiam extra suam Parochiam audire, si v. g. cum suis Parochianis in alienam parochiam peregrinatum iverit, & ibi aliqui confiteri desiderent. quia absolutio Sacramentalis est actus voluntariæ Jurisdictionis qui extra territorium etiam exerceri potest. *l. 2. De offic. Proconf.*

Not. 4. quòd Parochus non possit quemlibet pro suo Capellano seu Cooperatore suscipere, cui deleget suam Jurisdictionem, nisi fuerit Sacerdos quoad curam animarum approbatus ab Episcopo. Quia Concilium Trid. generaliter decrevit, *Nullum* posse Confessiones sæcularium audire, nisi approbatus fuerit. Deinde non satis cautum fuisset incommodis ex abusu Parochorum oves suas ineptis committentium, provenientibus, si facultas judicandi de idoneitate Ministri penes Parochos relicta fuisset,

set, ut rectissimè observat Reverendissimus D. Christoph: Rasler *in tractatu suo de Pœnit. pag. 409.* Prætereà non sufficit, quòd suscipiendus in capellanum ab aliquo Episcopo, quocunque demùm, sit approbatus, sed debet esse approbatus ab Episcopo illius diœcesis, in qua Sacramenta administrabit, tùm quia Concil. *d. s. 23 c. 15.* requirit approbationem ab *Episcopis* in plurali, quo numero utiq; utitur ex supposito, quòd aliquem contingat ad diversas diœceses venire: tùm etiam quia in diversis diœcesibus diversi populi, diversi mores & ritus sunt, ut propterea meritò specialiter inquirendum an talis Persona aliunde adveniens pro tali loco idonea sit.

Sed quid si Parochus de facto aliquem capellanum non approbatum ab Episcopo tenuerit, anne valide absolvet? R. si communi hominum existimatione reputetur pro Legitimo Capellano, ejus jurisdictio â jure pro

6

pro

pter communem hominum errorem (qui non debent in re tam gravi decipi) supplebitur, & consequenter validè absolvet *arg. l. Barbarius. De offic Præt.* Non ignoro quod Inoc. *in c. cùm dilecta 22. De rescript. n. 1.* videatur tenere, illam Leg. *Barbarius.* non habere locum in delegato (qualis etiam est Capellanus) sed tantum in Ordinario, eò quòd ratio publicæ vtilitatis potissimùm tantum in Ordinario Iudice locum habeat. Verùm quidquid sit de hac opinione Innocentij, quam impugnat Sanch. *de Matrim. lib. 3. disp. 22. n. 16. nixus authoritate tex. c. 1. §. verumtamen. 3.* 97. Ego in nostro proposito dico, nõ agi de delegato ad unam particularem causam, de quo Innoc. loquitur, sed agi de Capellano, qui semper loco Parochi Iurisdictionem exercet, & proinde delegatus ad universitatem causarum mandatam potiùs habens Iurisdictionem censeri debet, qualem

delegatum habere jurisdictionem or
dinariam, & plerumq; ordinarij no
mine venire testatur And. Gail. *lib.*
Obs 97. n. 12. Maximè verò illa rat
publicæ utilitatis, ob quam in ordin
rio propter communem errorem su
pletur jurisdictio, deduci potest ad de
legatum ad universitatem causarum
quia & iste non tantum uni uel alter
sed multis, imò omnibus in illo gene
re causarum, ad quod delegatus est
comprehensis, jus dicere necesse habe
Docet tamen Barb. *De officio Paroc*
7 *p. 2. c. 19. sub. n. 38. in nova edit.* quo
ad tempus aliquod, v. g. in quadra
gesimâ possit sibi Parochus vel Cu
tus ad excipiendas confessiones a
quem Religiosum vel alium sine c
juscunq; Superioris licentia assume
cùm Sacerdos ritè ordinatus jam h
beat potestatem absolvendi, sed ta
tùm materia scil. populus deficiat
quam ipsi tribuit Parochus. At e
hanc sententiam potius ex consue
d

dine & licentiâ Episcopi per quandam Epikiam propter brevitatē temporis præsumptâ admiserim, quam ex illâ ratione asignata, quæ stante Concilio Trid. prohibente absolutionem â Sacerdote non approbato factam procedere haud potest, aliàs probaret generaliter, quòd Parochus indistinctè quemcunq; sacerdotem pro suo Capellano suscipere posset, contrà ea, quæ paulò antè dicta sunt.

Not. 5. quòd Sacramentum Pœnitentiæ, præter eos, qui perpetuum domicilium in Parochia habent possit etiam Parochus administrare illis, qui quasi domicilium ibidem obtinent, hoc est, qui maiori saltem anni parte in parochia vel de facto manserunt, vel manere intendunt, ut Scholares, famuli, &c. Quinimo etiam plane advenas & peregrinos nec verum nec quasi domicilium habentes ex tacitâ voluntate Ordinariorum per consuetudinem confirmatâ à quolibet 8.

exposito sacerdote Pœnitentiæ & Eucharistiæ Sacramenta percipere posse etiam tempore paschali, *si ad propriam Parochiam facile accedere non possint*, ex communi sententiâ & praxi docet Laym. *lib. 5. tract. 6 cap. 10. n. 9.*

Not. 6. quòd Parochus teneatur toties administrare Sacramentum pœnitentiæ suis Parochianis, quoties ipsi justam confitendi causam habent, ac opportuno tempore & loco petunt. cum enim homines frequenter in peccata mortalia labantur, & propterea periculo æternæ damnationis sint expositi, utiq; Parochus ratione pastoralis officij tenetur quandocunq; potest & ipsi petunt, eos ex tanto periculo eripere, & ipsorum spiritualem profectum omni meliori modo promovere. *Navar. in Man. cap. 25. n. 131.*

10. Quod si Parochus non velit per se confessionem excipere, vel pœnitens desideret alteri confiteri, non debet Parochus in concedenda licentia difficilis esse

esse, ne conscientiæ suorum subditorũ laqueum inijciat. quia experientiâ constat, quòd multi confitendo proprio Parocho peccata sua non integrè & sincerè exponant: imò nonnulli malint sine pœnitentia decedere, quàm proprio Parocho confiteri, ut ex S. Thoma notavit Sylv. *verb. confessor. 1. n. 13.*

Not. 7. quod in casibus Papæ vel Episcopo reservatis Parochus sine speciali licentiâ nullam jurisdictionem habeat, sed afferentem peccata reservata & non reservata, â non reservatis absolvere, cum reservatis autem ad superiorem remittere debeat. Porrò cum circà casus reservatos multæ quotidianæ difficultates occurrant, ideò præcipuas earum breviter hîc subnotabo. 11

[o]

§. Unicus.

De Casibus reservatis,

Quær. 1. utrum Parochus nullo cas
12 absolvere possit â reservatis ? R. i
articulo mortis nullum casum esse re
servatum, *sed omnes sacerdotes* (quo
DD. etiam ad excommunicatos, su
spensos, irregulares, degradatos, Schis
maticos & hæreticos extendunt, apu
Barb. *in Collect ad cap. 7. Trid. S. 14. D*
Sacram. Pœnit. n. 13.) quoslibet pœ
nitentes â quibusvis peccatis & cen
suris absolvere possunt Ecclesiâ ex sin
gulari pietate & benignitate tu
conferente Jurisdictionem *jux Tri*
d. cap. 7. s. 14. dicitur autem *mor*
articulus non tantùm quandò pœn
tens jam agonizat, sed tametsi vjvat
& vivere possit, est tamen ex vero
simili medicorum aut prudentum v
rorum judicio in propinquo mortis
periculo. veluti si peste infectus sit
in ipso conflictu bellico aut pericu

Na

naufragij constitutus, &c. *Barb. d. c. 7. n. 11.*

Quær. 2. Vtrum in periculo mortis â casu reservato absolutus, si reconvalescat, teneatur se præsentare Superiori, & novam absolutionem petere? ℟. esse distinguendum, an casus fuerit simpliciter reservatus, vel an fuerit reservatus propter censuram annexam? si fuerit simpliciter reservatus, non erit opus novâ absolutione, quia præcedens absolutio in articulo mortis data ex comissione Ecclesiæ fuit vera absolutio, ac proinde omnes absolutionis effectus operata est. *cc apud Barb. d. c. 7. n. 16.* sin autem quis in articulo mortis â Censurâ sive â Jure sive ab homine lata absolutus fuerit, is cessante periculo Superiorem adiredebet, ut ejus mandatum de satisfaciendo suscipiat aliàs in censurã reincidet ipso jure. *c. eos qui. 22. De sent. excom. in 6.* 13

Quær. 3 quid si pœnitens nulla ratione persuaderi possit, ut Superiorem accedat,

cedat, quin potius ob animi duritiam dilaturus Confessionem, aut etiam in omnem peccandi licentiam sese effusurus sit, maximè si rationabilem recusandi causam habeat, quia scil. prudenter timet damnum aliquod extrinsecum, v. g. Sigilli violationem, odii superioris, aut ne is scientiâ ex Confessione ad externam gubernationem utatur? R. tali casu debere Pa-
14 rochum â Superiore licentiam absolvendi petere (cautè tamen & in genere, ad aliquem casum reservatum ne Persona pœnitentis innotescat) atq; ad eam præstandam Superiorem teneri & obligari, ne reservatio casuum quæ ad salutem animarum & ædificationem concessa est, ad ruinam & destructionem tendat. *Reverendissimus D. Christoph. Rasler in tract. suo de Pœnit. c. 7. §. 35.*

15 Quær. 4. an Parochus, qui licentiam absolvendi â reservatis non habet, possit pœnitentem mittere ad alium

Paro-

Parochum vel Religiosum, qui eam licentiam obtinet? Sanè pro Negativâ facit, quòd Concil. Trid. *d.c.7.s.14.* velit pœnitentem non ad alium, quàm ad Superiorem remitti, ne alias reservatio Episcopi facilè eludatur. Item quòd Parochus alteri Jurisdictionem in suum subditum delegare non possit in tali materia, in qua ipse eandem non habet, cum nemo plus Iuris in alium transferre possit, quàm ipse habeat. *c. nemo 79. De R. I. in 6.* & delegatus non ex propria, sed ex Iurisdictione delegantis judicet. *arg. c. sanè. 11. De offic. deleg.* Verùm Ego quidèm non dubito, quin pœnitens moneri debeat, ut Episcopum pro absolutione accedat, quod si autem difficulter persuaderi possit, vel justam recusandi causam habeat, planè existimo, quòd ad alium habentem licentiam absolvendi â casibus reservatis rectè dimittatur. neque propterea eludjtur decretum Concilij reservatio

ſervatio Epiſcopi, quia in talibus circumſtantijs etiam ipſum Epiſcopum teneri ad præſtandam licentiam alteri jam ſupra dictum eſt. Illud verò videtur habere aliquam difficultatem, quo Iure ab alio quàm proprio Parocho vel Epiſcopo talis Pœnitens abſolvatur? Non enim *ordinario*, quia ſubditus non eſt; neque etiam *delegato*, quia â proprio Parocho Iuriſdictio circa caſum reſervatum delegari non potuit, ut dictum. Sed ℟. hanc Iurisdictionem ex qua Confeſſarius alienum Parochianum ad ſe venientem cum licentiâ proprij Parochi abſolvit, non eſſe *delegatam* ſed *prorogatam* & conſequenter *ordinariam*. hæc enim eſt differentia inter Iuriſdictonem *delegatam* & *prorogatam*, quòd *delegatam* habens præciſè ex Iure delegantis
16 judicet, *prorogatam* autem habens judicet ex propriâ, quia non confertur ipſi nova Iuriſdictio ab alio, ſed tantùm alienus ſubditus ſeſe ipſius Iurisdictio-

dictioni subijcit. *l. 1. & 2. ff. De Iudicijs.* Dices, quomodo digosci poterit *delegatane* sit Iurisdictio an *prorogata?* R. tunc censendam esse *delegatam* Iurisdictionem, si commissio dirigatur ad ipsum absolventem novam ipsi Iurisdictionem conferendo, *prorogatam* verò tunc, si ipsi subdito tantùm detur licentia, ut alteri, qui aliunde jam Iurisdictionem habet, se subijciat. *c. significasti 18. De foro compet.* Porrò licet in causis spiritualibus 17
& circà forum internum *prorogatio* Iurisdictionis sine consensu proprij ordinarij invalida sit, quia ubi de bono animæ agitur proprius Superior cognoscere debet, qui pro ea est rationem redditurus. *Barb. in d. c. significasti. sub n. 8.* attamen quòd cum licentiâ proprij superioris maximè subexistente justâ causâ *prorogatio* rectè fiat satis exploratum est. haùd enim assignari potest diversitatis ratio, cur proprius superior possit alteri suam Iurisdictionem

nem in ſuum ſubditnm delegare,& cur non etiam poſsit ipſi ſubdito licentiam dare, ut ſe alterius Iuriſdictioni ſubijciat.

18 Quær. 5. quid ſtatuendum ſi habens caſus reſervatos ſit ex alienâ diæceſi,& tantùm per accidens hic & nunc commoretur ad tempus in illa ubi confitetur, v. g. peregrinationis aut certi alicuius negotij expediendi causâ,&c.

Duos caſus in propoſito diſtinguũt DD. primus eſt utrum talis pœnitens confiteatur caſum,qui non ſit quidem reſervatus in ſua, ſit tamen reſervatus in Confeſſarij diæceſi? Secũdus,an caſus ſit reſervatus in diæceſi Pœnitentis,non verò in diæceſi Confeſſarij? vtrumque caſum ex eodem principio reſoluunt, videl. quòd attendendæ ſint leges loci ubi Confeſsio fit, quia Iuriſdictio & Iudicium regulatur ſecundum leges loci, in quo exercetur. proindè in primo caſu putant pœnitentem abſolvi non poſſe, ſecùs verò

verò in secundo *Laym. de Sacram. Pœnit. cap. 10. n. 10 cum cc. ibidem.*

Verùm Ego circa resolutionem primi Casus planè subsisto; Nam quæro, quando Casus pœnitentis non est reservatus in propria Diæcesi ipsius, an debeat remitti ad Episcopum proprium, vel ad Episcopum loci ubi confitetur? non ad proprium, quia ille casum sibi non reservavit, non etiam ad Episcopum loci ubi confitetur, quia non est ipsius subditus & reservationes casuum tantùm intelliguntur circà subditos. *tex in d. c. 7. Trid. s 14. De Sacr. Pœnit.* sunt enim introductæ, ut quilibet Episcopus suos non alienos subditos in officio contineat: maximè verò si casus reservatus in aliena Diæcesi patratus sit, sicut *in c. 2. De. constit in 6.* expresse dicitur, quòd excommunicatio Episcopi extra suum territoriũ locum non habeat licet subditus ipsius Episcopi (quantò magis nõ subditus) peccatum illud, propter quod excom-

excommunicatio lata est, extrà territorium Episcopi perpetraverit.

Alterius quoq; Casus resolutio propterea non caret scrupulo, cum non sit absolutè verum, quòd semper Iurisdictio secundum leges loci exerceatur. Ecce siquis in Vngaria habitans,
19 ubi Concil. Trid. receptum non est, contraxerit Matrimonium sine Parocho & testibus, & alibi super hoc Matrimonio disputetur ubi Concilium receptum est, id non secundùm leges loci, ubi disputatur, sed ubi contractum fuit judicari debet. *arg. l. si. fundus 6. de evict. l. 1. C. de emancip. lib. Sanch. de matrim. lib. 3. disp. 18. n. 27.* similiter si testamentum fiat secùndùm particulares consuetudines alicuius provinciæ, id in toto mundo validum reputari debet & secundum illas consuetudines judicari. *l. 2. C. quemad. testam. aper. Gail lib. 2. obs. 123.* & propiùs ad nostrum propositum, excommunicatus ab uno Iudice, debet etiam

ab alio tanquam excommunicatus haberi. *c. 3. de offic. Iud. ordin.* Interim tamē quia prædicta resolutio favet Conscientiæ, non libenter eandem expugno, & pro ejusdem probabilitate, illud saltem dici posse existimo, nimirùm secundum leges loci judicandum esse, quoties non de substantia controversiæ, sed de solennitate extrinsecâ judiciorum & competentia Iurisdictionis quæstio incidit. Sic in Austria restitutio in integrum contra sententiam Iudicis apud Imperatorem petitur: quid ergò si Austriacus extra Austriam litigans condemnetur & restitutionē petat, non erit ad Imperatorem remittendus, sed secundum leges loci ex justâ causa ab ipso Iudice condemnāte in integrum restituendus. *jux. l. 3. C. ubi & apud quem restit. &c.* Instantia de excommunicato ideo non videtur urgere, quia excommunicationis natura est, quòd non tantùm â Communione fidelium unius loci, sed totius Ecclesiæ excludat.

Quær. 6.

Quær. 6. Vtrum reservatio Casuum
20 duret etiam post mortem Episcopi, & sede Episcopali vacante? R. si reservatio sit facta â Synodo Provinciali vel Diæcesanâ per modum Statuti perpetui, tunc durabit etiam post mortem Episcopi *arg. c. fin ubi gl. v. statuta. De offic. leg.* & habens casum reservatum sede vacante mittendus erit ad Vicarium Capituli. Qui tamen â defuncto Episcopo habuisset licentiam absolvendi â casibus reservatis, is eandem (nisi tempus, ad quod licentia restricta est, jam effluxisset) etiam sede vacante exercere posset, quia gratiæ non expirant morte concedentis. *v. sicui. de præb. in. 6. Sanch. de matrim. lib. 8. disp. 28. n. 72.* Sin autem non constet de tali Statuto perpetuo, sed Episcopus defunctus proprio motu sibi reservaverit casus aliquos (quod videtur in dubio præsumi posse, quando nulla extant statuta synodalia, quæ communiter solent typis imprimi) tunc

hæc

hæc reſervatio unà cum Perſona Epiſcopi expiraſſe cenſetur & ſede vacante quilibet Confeſſarius abſolvere poterit. *Zerola in Praxi Epiſc p. 1. v. caſus reſervati. n. 4. Emä. Sa. v. abſolutio n. 20.*

Specialia quædam notanda circa caſus Papales.

1. NUllus caſus eſt Papę reſervatus nisi qui ſimul habeat annexam cenſuram excomunicationis. *Nav. in Man. c. 27. n 101.* ideò 2. ſi Pœnitens propter aliquas circumſtantias poſsit excuſari, quòd cenſuram non incurrerit, quamvis caſum illum reſervatum perpetraverit, non eſt mittendus ad Papam, ſed â Parocho vel alio Confeſſario abſolvi poterit, quia, ut dictum, nullus Caſus eſt Papæ reſervatus, niſi qui excommunicationem ſecum trahat. 21

3. Cum nulla excommunicatio vel Cenſura incurratur niſi propter peccatum mortale, ideò quotieſcunque aliquis 22

quis casum reservatum sine peccato mortali perpetravit, puta ob ignorantiam invincibilem, inadvertentiam, non sufficientem deliberationem, parvitatem materiæ, &c. toties etiam censura, & consequenter â reservatione excusabitur. *Cov. in relect. c. alma mater de sent. excom. in 6. §. 9. n. 1.*

23 4. Favore Conscientiæ quorundam est opinio non affici aliquē censurâ Ecclesiasticâ, non tantùm si ex probabili & tolerabili ignorantia nesciat actum quem agit esse prohibitum, sed etiam si sciat esse prohibitum, ignoret autem esse censurā añexam, sicut hujusmodi probabilis & tolerabilis ignorantia datur in constitutionibus & canonibus, non ita per locorum Ordinarios publicatis, maximè circà fœminas rusticos, milites, pupillos & minoreñes, utpote qui aliàs per Iuris ignorantiam excusantur *l. cum de indebito. 25. §. 1. de probat.* quā sententiam tenet Ang. *in v. excommunicatio 7. cas. vlt.* &

videtur probare Sylv. *in v. ignorantia*, §. 8. Non obest, quod rusticus v. g. grave delictum perpetrans ultimo supplicio afficiatur quamvis ignoret, tam gravē pœnam delicto esse præfixam. sicut in contrarium argumenatur Cov. *in d. c. alma mater* §. 10 n 9. Nam imprimis vel delinquens scit, actum quem agit esse prohibitum, vel ignorat: si scit, vix potest contingere, ut ignorantia pœnæ non sit nimis crassa & affectata, siquidem pœnæ publicè & toto mundo inspectante soleant infligi: si ignoret, actum quem agit esse prohibitum, eiusq; ignorantia probabilis fuerit, falsum est suppositum, quòd pœna pręsertim ultimi supplicij rectè plectatur. Deindè quidquid sit in alijs cansis, diversa est ratio in Censuris, quæ sine contumacia & saltem interpretativo contemptu ipsarum censurarum non incurruntur, contumacia autem quod in igno-

rante

rante non detur per se clarum est, & etiam advertit Cov. *d. §. 10. n. 7. optimus tex. in. c. 2. de Constit in 6.*

24 5. Circà excommunicationes, quæ ipso Iure inferuntur, etiam ad Consuetudines locorum attendendum erit, quia multæ excomunicationes, quas Authores longa serie recensent, in Germania receptæ non sunt, vel certè contrario usu abrogatæ sunt teste *Henric. Magnigart. in suis parvis resolut. Moral. cap. 5. §. 9.* quòd autem

25 lex non recepta non liget, communiter sentiunt DD *per tex in c. in istis §. leges. dist 4. Nav. in Man. c. 23. n. 41. Menoch. lib 2 præsumpt. 2.* & quòd lex etiam recepta per contrariam consuetudinem tolli possit, constat ex *c. fin. de Consuet. & pluribus alijs locis* quæ sanè Consuetudo vel exinderationabilis est, ne ob multitudinem censurarum fideles periculum animarum suarum incurrant, & nervum Ecclesiasticæ disciplinæ contemnant. *arg.*

tex.

te in Trid. ſ. 25. de reform. c 3. & in c. 2. de Conſtit. in 6. Specialis eſt difficultas, quid cenſendum ſit de caſibus Papalibus *in Bulla Cœnæ Domini* reſervatis, ánne etiam illa Bulla poſſit dici non eſſe recepta, cùm tamen ſingulis annis rigoroſè Romæ promulgetur? 26 Audivi â viris fide dignis, quòd aliqui Magni Principes Germaniæ nõ ſint paſſi illam Bullam in ſuis territorijs promulgari, fortè quia plurimùm defendit immunitatem Eccleſiaſticam: Sed an id Jure fecerint, alijs diſputandum relinquo. Interim ad noſtrum propoſitum dicendum videtur, ſubditos habere juſtam ignorantiæ cauſam, & conſequenter non incurrere Cenſuras prædictæ Bullæ, ſi in aliqua Diæceſi non promulgentur. *tex notab. in c. cum infirmitas. 13. De Pœnit. & remiß. ibi poſt quam per Prælatos locorum fuerit publicata, &c.* & tenet Cajet. *in 1. 2. q. 90. art. 4* ac in ſpecie quòd Bulla Cœnæ non recepta non liget, aſſerit

Nav. *Consil. 1. de const. n. 74. in sum marijs.* Paul. Laym *De excom. c 5. su n. 2. ubi refert Becanum idem sentient* quidquid fortè sit de alijs causis civil bus & Judicialibus, quæ periculum animarum non ita imediatè tangun in quibus ex stilo Curiæ omnes c ipo Romæ tantùm promulgatæ ho Bul etiã in partibus obligant. *Chokier D Iurisdict. ord in exempt p. 1. q. 50. ân.*

28 6. Nulla excommunicatio vel ca sus reservatus incurritur propter ac tum merè internum, v. g. peccatũ co gitationis, hæresim mentalẽ &c. qui Ecclesia non judicat de internis & oc cultis, sed requiritur actus extern verbo vel opere externo demonstr tus, & quidem consummatus, unde v. g. reservatus sit incœstus, requiret perfecta copula, & non sufficiet tan tùm attentata. *Laym in Theo. mo lib. 5 tract. 6 c. 12. sub. n. 3.*

29 7 Qui casum Papalem habent Episcopo absolvi possunt, si sint e

co

conditionis, quòd Romam venire sine magna difficultate nō possint, uti sunt fœminæ, pueri, filijfam. in potestate patria constituti, senes, infirmi, habentes inimicitias capitales, aut aliud justum impedimentum, propter quod tale iter suscipere nequeant, ita tamen, ut hi qui impedimento temporali laborant (exceptis pueris, qui etiam post pubertatem ab Episcopo absolvuntur, cùm propter puerilem ætatem, in qua delictum admiserunt, veniam mereantur) cessante impedimento debeant ad sedem Apost: accedere. Item magni & potentes Domini absolvuntur quidem in partibus, sed S. Pont. priùs debet de statu Personæ & qualitate causæ certiorari, ut absolutio secundùm ipsius mandatum impendatur. *vid. tex. in c. mulieres 6. c. de cœtero 11. c. quamvis. 58. & c. fin. De sent. excom.*

8. Demum hodie plerumque non est necessè pœnitentem cum casu Pa- 30

pali Romam mittere, quia Legati aut Nuncij Apostolici in partibus existentes, vel etiam diversorum Ordinũ Religiosi præsertim Mendicantium potestatem & privilegium habent â casibus S. Pontifici reservatis absolvendi. Sed de hujusmodi Specialibus Privilegijs illi ipsi Religiosi consulendi erunt: nam S. Congreg. Episcop. & Regul. de Mandato Clem. VIII. die 9. Mensis Jan. Anni 1601. resolvit; quòd quicunque Regulares cujusvis Ordinis Congregationis, Societatis & Instituti tam intra quàm extra Italiam virtute privilegiorum suorum quorumcunque non possint absolvere â casibus in Bulla Cœnæ vel Episcopis reservatis. prout hanc resolutionem in terminis refert Quaranta in *Summ. Bull. verb. Casus reservati n.* 13. & ex Aldan. allegat Barb. in *Collect. ad. c.* [illegible] *Trid. s.* 14. *De Sacram. Pœnit. n.* [illegible] ubi ponit hanc resolutionem esse d[illegible] 17. Nov. 1628. quod fortè de renova-

tio

tione intelligendum est, quia *Data* apud Quarant, *d. l.* est antiquior.

CAPUT III.

DE EUCHARISTIA.

1. *Eucharistia danda est quoties rationabiliter petitur.*
2. *Videtur verius quòd etiam quotidiè, cæteris paribus peti possit.*
3. *Fallit in conjugatis.*
4. *Eucharistia quandocúnque petitur ad ægrotum deferenda est reverenter cum comite & lumine.*
5. *Ad sumptionem Eucharistiæ requiritur dispositio animæ, & corporis.*
6. *Habens casum reservatum aliquandò ante absolutionem communicare potest.*
7. *Non habentes usum rationis non sunt ad communionem admittendi.*
8. *Communicaturus qualiter debeat esse jejunus.*
9. *Ad ægrotum non debet Euchari-*

stia deferri causa solius adorationis si eam sumere non possit.

10. *Extra tempus paschale quilibet sacerdos potest quoscunque communicare.*

11. *Eucharistia honorificè asservanda est.*

12. *Quis teneatur ad conservationem Lampadis ardentis ante SS. Eucharistiam.*

Circà administrationem hujus Sacramenti

1 Not. 1. quòd Parochus regulariter teneatur dare SS. Eucharistiam, quoties pij subditi eam rationabiliter petunt, ne *parvuli petant panem, & non sit qui frangat eis.* Sed quæstionis est, an censeatur rationabiliter petere, qui singulis aut ferè singulis diebus peteret? Sanè priscis temporibus peracta consecratione in Missa omnes adstantes sumebant Eucharistiã, *Hurtado de Sacr. tom. 2. tract. de Euchar. disp. 9. diffic. 22. vers. recentiores &c.*

in Concil. Trid *s. 22. de Sacrif. Missæ c. 6.* hæc verba leguntur: *optaret Sancta synodus, ut in singulis Missis fideles adstantes, non solùm spirituali affectu, sed Sacramentali etiam Eucharistiæ perceptione communicarent, quò ad eos sanctissimi huius Sacrificij fructus uberior perveniret &c.* Quopropter quidquid aliqui contradicant, ego 2
credo omninò dandam esse Eucharistiam etiam quotidiè petenti, si ex ordinaria ejus vitæ conversatione colligi posset, quòd non ad vanam gloriam captandam aut cum periculo irreverentiæ accederet; prout per plura argumenta, & declarationem Cardinalium concludit Joannes Sanchez *in select. disp 22.* In conjugatis quidem personis qui carnali commercio 3
inserviunt, non immeritò hæc quotidiana communio denegatur, illo maximè die, in cujus nocte præcedente copulâ conjugali usi sunt, ad majorem tanti Sacramenti reverentiam,

servandam, & distractionem mentis evitandam juxtà illud *Reg. 1. c. 21. non habeo laicos panes ad manum, sed tantùm panem Sanctum; si mundi sunt pueri maximè à mulieribus manducent, &c.* & juxta monitum Apostoli, qui vult conjugatos abstinere *ad tempus, ut vacent orationi.*

14 Not. 2. quòd in casu necessitatis videlicet instantis mortis teneatur Parochus non tantùm de die sed etiam de nocte, instantibus quóq; pluvijs SS. Eucharistiam ad ægrotum deferre, quia salus alterius spiritualis utique commoditati exiguæ corporali anteponenda est. quo verò ritu sanctissima Hostia deferenda sit, ex consuetudine singulorum locorum desumendum erit, eo semper observato, ut tanta, quanta potest, sanctissimo Sacramento reverentia exhibeatur. Undè ille abusus vel maximè tollendus est, quòd aliqui Eucharistiam quandoque sine lumine, & comite deferunt,

quod

quod graviter prohibitum est *in c. sanè. 1. de celeb. Mis.*

Not. 3. quòd Sacramentum Eucharistiæ non debeat ministrari, nisi ijs, qui in *animâ & corpore* ad id dignè recipiendum dispositi sunt. In anima dispositio requiritur, ut nullus ad communicandum accedat, qui sibi conscius est alicujus peccati mortalis nisi confessione Sacramentali præmissâ. *Trid. s. 13. de Sacram. Euchar. c. 7.* quòd si tamen soli Parocho ex confessione notum esset aliquem indignè & nō obtentâ absolutione ad communionem accedere cum alijs, ei Eucharistiam denegare non deberet, ne apud alios infamare, & sigillum confessionis prodere videatur. Sed quid si pœnitens qui commisit casum reservatum habeat necessitatem cōmunicandi, v. g. tempore Paschali, ita ut sine diffamationis periculo non possit superiorem adire & interim à communicatione abstinere? ℟. quòd tali casu censeatur

circà casus reservatos deficere copia confessoris & ideò possit is, qui casu reservatos habet obtentâ absolutione à non reservatis, & præmissâ contritione circà reservatos ad communionem accedere, ita tamen ut deinde quàm primùm commodè potest, reservatos confiteatur. *arg. tex. in d.c. Trid. s. 13.* ibi. *modò non desit illis copia confessoris &c. Eman Sa. v. Eucharistia n. 13. Castro Palao. de Sacr. Pœnit. sect. 15. §. 4. n. 3* Præterea comunicaturus debet habere usum rationis, ut ea, quæ ad

7 perceptionem hujus Sacramenti pertinent juxtà arbitrium prudentis confessarij sufficienter intelligat. Vnde infantes intra septennium constituti vel continuò amentes non habentes dilucida intervalla regulariter ad communionem etiam in mortis articulo admittendi non sunt.

8 In *corpore* requiritur dispositio, quòd comunicaturus sit jeiunus à media nocte diei præcedentis *jejunio na-*

turali

turali, id est, quòd nihil omninò priùs quamvis minimũ per modum cibi deglutiverit, idque propter reverentiam tanto Sacramento debitam, ut corpus Christi ante omnem cibum in corpus Christiani intret. *c. liquido. 54. dist. 2. de consec. c. nihil 7. q. 1.* Dico per modum cibi, nam si quis sanguinẽ aliumvè humorẽ ex capite descendentẽ, aut inter eluendũ os cum salivâ deglutiat aquæ guttulas, vel si pusculũ gustavit, & illicò reiecit, etsi fortè guttas cum salivâ deglutierit, non censebitur ieiuniũ naturale violasse. *vid Laym l. 5. tract. 4 c. 6. n. 18.* porrò istud ieiunium in illis tantùm requiritur, qui sani extra periculum mortis constituti communicare desiderant. at verò quibus periculũ mortis instat etiam non ieiuni & quidem sæpiùs durante eodem periculo morbi (uno tamen vel altero die interiecto) sacram communionem accipere possunt, cùm enim ieiunium tantùm sit de de præcepto Ecclesiæ,

noluit pia mater illum casum extremæ necessitatis, in quo maximè hoc sanctissimo Viatico indigent fideles, comprehendere. Deinde requiritur quòd recepturus SS. Eucharistiam ita sit dispositus quoad sanitatem, ut v. g. propter expuitionem seu eructationem nullum sit periculum irreverentiæ. quòd si dubitetur an infirmus sit retenturus sacram Hostiam vel potiùs iterum eiecturus, nonnulli consilium tradunt, ut priùs cum Hostia non consecrata experimentũ fiat, præmonendo tamen infirmum, quòd Hostia non consecrata sit, ne eam erroneè adoret. Illud etiam notatu dignum est, quòd Eucharistia ad ægrotum deferri non debeat causa solius adorationis, si eam sumere non possit: sicut à sac. Congreg. Card. declaratum refert. Zerola *in praxi Episc. p. 1. v. Eucharistia.* §. 5. neque posse dari hoc Sacramentum sub specie vini, si ægrotus non possit accipere sub specie panis

tradit

tradit *ex Suarez. tom. 3. disp. 71. §. 7.* Barb. *de off. Par. p. 2. c. 20. n. 44.*

Not. 4. quòd (extra casum extremæ necessitatis) non liceat alijs quàm proprio Parocho vel delegato ab eo Sacramentum Eucharistiæ Parochianis ministrare, imò *in Clem. 1. de privileg.* excommunicationem Papæ reservatam incurrere dicuntur religiosi, qui sine speciali licentia Parochi aliquibus Sacramentum Eucharistiæ ministrant. Attamen post hanc Clementinam per varia privilegia Regulariũ & diversorum locorum consuetudines obtentum est, quòd in Ecclesijs præsertim Religiosorum Sac. communio liberè quibusvis petentibus distribuatur, Et plurimi statutum dictæ Clementinæ tantùm de tempore Paschali intelligunt, quia *in c. omnis. 12. de pœnit. & remis.* videtur injungi, ut tempore Paschali tam confessio, quàm communio apud proprium Parochum fiat. Ceterùm autem si aliquis

liquis extra tempus Paſchale ex cauſa devotionis comunicare velit, id apud quemlibet ſacerdotem poſse cum multis DD. tradit Barb. *in collect. DD. ad c. 6. Trid. ſ. 22. de ſacrif. Miſ. in fin.* quòd ſatis probatur *ex eodem c. 6.* dum enim ibidem optat Sac. ſynodus ut fideles adſtantes in ſingulis Miſſis communicent, videtur planè licentiam dare, ut ſinguli presbyteri Miſſas celebrantes quoſcunque petentes communicare valeant.

11 Not. 5. quòd ad officium Parochi pertineat, ut SS. Euchariſtiam in loco decenti, mundo, & honorifico diligenter aſſervet, & frequenter ſaltē ſingulis ſeptimanis ſemel antiquas ſpecies, ne corrumpantur, ſumat & novas conſecret. Paul. Fuſcus *de viſit. lib. 1. c. 5. n. 3.* Item ex generali conſuetudine Eccleſiæ Lampas continuo diu noctuq; ante ven: Sacramentum ardere debet tum propter ejus reverentiam, tum etiam ut ingredientes Eccleſiam ſciant ub

ubi primùm præsentiam Salvatoris nostri adorare debeant.

Sed quis tenebitur ad præstationem olei & conservationem talis lampadis? R̄, quòd si consuetudo sit in aliquo loco, ut Parochiani ad conservationem Lampadis certas oblationes facere soleant, illa omninò observanda erit: Sin autem consuetudo legitimè probari nō possit, puto hanc quæstionem decidi posse, ex ijs quæ tum in Jure Communi *in tit. de Eccles. ædif. & repar.* tum in concilio Trid. *s. 21. de ref. c. 7.* generaliter de conservatione & reparatione Ecclesiarum constituta sunt, ut nimirum conservatio Ecclesiæ, primò desumatur ex fructibus & proventibus quibuscunque ad easdem Ecclesias quomodocunque pertinentibus, qui si non fuerint sufficientes, tunc omnes Patroni, & alij qui fructus aliquos ex Ecclesia provenientes percipiunt, aut in illorum defectū omnes Parochiani opportunis Juris reme-

remedijs cogãtur quámvis autẽ hę constitutiones in specie de conservatione lampadis non loquantur, quia tamen loquuntur generaliter de *instauratiõe* Ecclesiæ, utique de omnibus, quæ in Ecclesia necessaria sunt, intelligendæ erunt. *nam quoties lege aliquid introductum est, bona occasio est, cætera, quæ tendunt ad eandem utilitatem vel interpretatione, vel Iurisdictione supplere* inquit JC. *in l. nam ut ait 13. ff. de LL.*

Caput IV.

De Extremâ Unctione.

1. *Extrema unctio qualiter conferatur, & quis eius effectus.*
2. *Vngendus debet esse capax peccati.*
3. *Extrema unctio non datur, quando mors imminet ab extrinsecâ violentia.*
4. *Quomodo conferenda sit extrema unctio, quandò periculum in mora est.*

5. *Vngen-*

5. *Vngendus debet esse saltem attritus.*
6. *Sitne danda unctio illi, de cujus peccato constat, sed non constat de pœnitentia.*
7. *Extrema unctio est reiterabilis.*
8. *Parochus debet singulis annis novum oleum petere ab Episcopo, nec uti veteri nisi in neccessitate.*
9. *Si oleum non sufficiat pro toto anno, potest admisceri non consecratum in minori tamen quantitate.*

SAcramentum Extremæ unctionis conferri per unctionem olei, & orationem Sacerdotis, constat ex Epistola Jacobi 5. *cap*, ita enim inquit Apostolus: *infirmatur quis in vobis inducat presbyteros Ecclesiæ ut orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, & si in pecatis sit dimittentur ei.* per quæ posteriora sancti Jacobi verba, res & effectus huius Sacramenti explicatur (ut advertit Trid. *s.* 14, *de sacr. extr. unct.*

unctio)res etenim hæc. inquit Conil. *gratia est Spiritus sancti, cujus unctio delicta quæ sint adhuc expianda, ac peccati reliquias abstergit, & ægroti animä alleviat, & confirmat, magnam in eo Divinæ misericordiæ fiduciam excitando, quâ infirmus sublevatur, & morbi incommoda, ac labores leuiùs fert, & tentationibus dæmonis faciliùs resistit, & sanitatem corporis interdum, ubi saluti animæ expedierit, consequitur.* Vndè cùm tanta sit hujus Sacramenti utilitas, licet nullum extet de eo suscipiendo præceptum, nihilominùs sine peccato saltem veniali, & accedente contemptu etiam mortali, intermitti non posse, communiter notant DD.

2 Porrò cùm hoc Sacramentum ad expianda peccata aut peccatorum reliquias institutum sit, debet ungendus ejus esse ætatis & intellectus, ut peccatum admittere potuerit, adeóque non planè infans, aut totaliter, & continuò

nuò amens. Deindè hoc Sacramentum dicitur *Sacramentum infirmorũ*: ac propterea conferendũ non est quandò mors iminet â violentiâ extrinsecâ, puta, suspendio, naufragio &c. post vulnus tamen acceptum vel venenum potatum, cùm tunc revera aliquis efficiatur infirmus, rectè conferretur.

Ad modum conferendi hoc Sacramentum pertinet, ut singuli sensus inungantur, & si quis aliquo membro inungendo careat v. g. manu, aut oculo, inungenda sit caro propingua v. g. brachium vel locus oculorum. Sed quid si morbus tam periculosus 4
sit, ut non possit extrema unctio tota peragi. v. g. si infirmus credatur jam jam expiraturus, vel tempore pestis metus contagionis subsit? ℟. sufficere si tali casu organum sensus magis obvium inungatur dicendo: *per istam sanctam unctionem, & piissimam suam misericordiam indulgeat tibi dominus, quidquid deliquisti per visum, odora-*

doratum, gustum, tactum & gressum; eò quòd non ad substantiam Sacramenti, sed tantùm ad pleniorem eius perfectionem pertineat singulos sensus inungere, & verba formalia in Rituali Ecclesiastico prescripta proferre. ita tenent cc. apud Barb. *in collectaneis ad c. 1. Trid. s. 14. de sacr. Extr. unct. n. 17.*

5 Ad dispositionē recipientis hoc Sacramentū spectat, ut saltem per attritionem de peccatis doleat, ne impœnitens anima ponat obicem virtuti & effectui sacramentali; hæc verò attritio in dubio præsumi potest, tum quòd in dubio quilibet præsumatur bonus, & de salute suâ curius, tum etiā quòd homines in agone constituti metu mortis & inferni plerúmque de omnibus suis peccatis pœniteant.

6 Quid autem faciet sacerdos, si moribūdus ab omni sensu alienatus nulla signa doloris edere possit, & tamen constet, quòd peccatum mortale commise-

miserit? Rz. cum Paulo Laym. *De Extrem. unct. c. 4. n. 3.* si publicè constet de peccato, & non constet de pœnitentia nullam dandam esse unctionem, nisi ex aliquibus conjecturis præsumi possit de dolore v. g. si in duello lethaliter vulneratus dixerit se adversario ignoscere, si post peccatum Ecclesiam frequentaverit, oraverit, &c. *Sylv. v. unctio. q. 5.* si verò peccatum soli Sacerdoti notum sit, & is sine scandalo unctionem negare non possit, debebit illam conferre; cùm enim moribundus censeatur publicè petere Sacramentum, & Sacerdos fungi publico ministerio, non rectè secundum privatam scientiam procedendo extremam unctionem negaret.

Cæterùm hoc Sacramentum non tantùm semel, sed & sæpiùs eidem homini conferri potest, non quidem durante eodem periculo morbi, sed si aliud novum periculum superveniat, quia videlicet infirmus judicio medico-

dicorum convaluit,& probabile mortis periculum evasit, deindè verò mutatâ corporis constitutione (licet paucarum tantùm hebdomadarum intervallo) in agonem recidit. Sylv. *v. unctio Extrema n. 8.*

8 Demum adnotandum est Parocho in cumbere, ut singulis annis novũ oleũ abEpiscopo petat, *c. litteris de consecr. dist. 3.* & vetus in lampadibus Ecclesiæ ante SS. Eucharistiam comburat. in casu tamen necessitatis antequàm novum oleum ab Episcopo transmittatur posse Parochum etiam veteri uti, docent cc. apud Barb. *ind. c. 1. Trid. n. 6.* Item si oleum non credatur sufficere pro toto anno, licere Parocho oleum non consecratum admiscere, dummodò in minori quantitate sit, traditur *in c. quòd in dubijs de consec. Eccles. vel alt.*

CAPUT V.

DE MATRIMONIO.

DUo sunt, quæ circà Sacramentum Matrimonij Parochus attendere debet, videlicet, ne aliquos habentes *impedimentum* contrahere patiatur, & deindè, ut in contractu ipso *solenitates* de Jure requisitas faciat adhiberi. Est autem præsciendum quòd impedimenta alia sint *impedientia tantùm*, ex quibus prohibetur aliquis matrimonium contrahere, alia verò sint *impedientia, & dirimentia*, quæ non tantùm matrimonium ab initio prohibent, sed etiam contractum nullum, & invalidum reddunt. Sit proinde huius cap.

§. I.

De Impedimentis impedientibus tantùm

1. *Impedimenta impedientia* 4. *hodie usu recepta.*

2. *in-*

2. *Interdictum Ecclesiæ quid?*
3. *An pendente lite super sponsalibus Matrimonium cum alio sit nullum.*
4. *Sponsalia cum una contracta impediunt matrimonium cum aliâ.*
5. *Quænam sint justæ causæ dissolvendi sponsalia.*
6. *Litigantes super sponsalibus debet Parochus ad Consistorium mittere.*
7. *Quibus temporibus non liceat solenne Matrimonium contrahere.*
8. *Votum simplex castitatis impedit matrimonium & petitionem debiti.*
9. *Post contractum matrimonium in voto simplici castitatis potest dispensare Episcopus.*
10. *Votum ingrediendi Religionem, vel Cœlibatus, impedit quidem matrimonium, sed non petitionem debiti.*

1 QUatuor hodiè potissimùm in usu sunt impedimenta *impedientia*: nimirum *interdictum Ecclesiæ, sponsalia cum alio vel aliâ contracta, tempus feriarum & votum simplex castita-*

ſtitatis. Sunt quidem etiam alia in Jure expreſſa, ut incœſtus conſtante matrimonio cum conſanguineâ uxoris factus, raptus perpetratus in alterius ſponsâ vel conjuge, occiſio propriæ uxoris vel Presbyteri. Sponſalia attentata cum moniali &c. attamen eorundem obſervationem jam pridem in deſuetudinem abijſſe, vel ſaltem cum diſpenſatione Epiſcopi tolli poſſe, tradit Navar. *in Man. c. 22. n. 75. & 85.*

I. igitur *interdictum Eccleſiæ* impedit matrimonium; quia verò omnia reliqua impedimenta poſſunt ad iſtud referri, cum ex omnibus ijs ab Eccleſiâ interdicatur matrimonium, ideò ſpecialiter hoc loco interdictum Eccleſiæ intelligo prohibitionem Epiſcopi, quæ fit illi, contra quem in judicio ſuper alijs ſponſalibus agitur. Nam ſi ſponſus timeat, ne ſponſa pendente lite contrahat de præſenti cum alio, poterit petere ab Epiſcopo, ut 2

ipsi matrimonium cum alio sub pœna excommunicationis ipso facto incurrenda interdicat. *Ioan. Hon. in tit. de matrimonio contracto contra interdictum Ecclesiæ.* imò non tantùm per Episcopum, sed etiam per Parochum posse aliquando ex causa justâ ad certum tempus impediri matrimonium cum pluribus docet Sanch. *de matrimonio lib 7. disp. 6. n. 6.* puta, si opponatur matrimonio impedimentum, si timeantur graves rixæ &c.

3 Quæri solet hoc loco, an matrimonium contra interdictum Episcopi celebratum valeat? ex ea dubitandi ratione, quòd matrimonium sit quædam corporis alienatio, juxta illud; *vir potestatem sui corporis non habet, sed mulier, &c.* omnis autem alienatio litependente facta sit nulla, & tanquam attentatum revocari debeat. *c. 3. de lite pend. l. 2. C. de litigiosis.* cui accedit tex: *in c. tua. 4. De sponsa duorum.* ubi datur potestas Episcopo

ritan

ritandi matrimonium contra suum interdictum præsumptuosè contractum.

Sed hisce rationibus non obstantibus respondit S. Pont. *in c. 2. De matrim. contract. cont. interd. Eccle.* matrimonium post interdictum Episcopi ob sponsalia cum alio præcedentia emanatum, esse inviolabiliter observandum. *licet enim*, pergit Pont. *contra interdictum Ecclesiæ ad secunda vota transire non debuerit, non est tamen conveniens ut ob id solùm Sacramentum Coniugij dissolvatur, alia tamen pœnitentia eis debet imponi, quia contra prohibitionem Eccesiæ hoc fecerunt.* quarè ab illa regula, quòd lite pendente nihil possit innovari, specialis est exceptio in matrimonio lite pendente contracto propter rationem Sacramenti cuius vinculum est irrevocabile, ut etiam advertit Joan. Hon. *in tit. De sponsa duorum. n. 6.* quòd verò attinet ad tex. *in c. tua. De spon-*

ſa duor. illum DD. ad conciliationem Jurium communiter accipiunt de casu, de quo loquitur, nimirum ſi lis non tantùm fuerit pendens ſuper ſponſalibus de futuro, ſed etiam ſuper ſponſalibus de præſenti vel alio impedimento dirimente. *gloſs. in d. c. tua in v. poteris. Sylv. verb. Matrimonium. 7. n. 1. verſ. tertium. Panorm. in eod. c. tua. n. 3. & in d. c. 2. n. 3.*

Quòd ſi tamen alicuius loci conſuetudo vel Conſiſtorij inveteratus ſtylus foret, matrimonia pendente lite contracta nulla declarare aut ea ſub pœna nullitatis prohibere, non auderem improbare, nam ex conſuetudine rationabili poſſe impedimentum dirimens conſtitui, docet Sanch. *lib. 7. diſp. 4. n. 11.* Conſuetudo enim abipſo Jure poteſtatem accepit, derogando legi communi, ſi cœtera requiſita concurrant. *c. fin. de Conſuet.* licet id non ſit Epiſcopo concessum. *Clem. 2. in princ. de elect. c. dilectus. De tem. Ordi-*

Ordin. Si dicas, per consuetudinem non posse tolli Sacramentum, adeoq; nec matrimonium pendente lite contractum, quia & illud est Sacramentum *d. c. 2. de matrim. cont. interd. Eccles.* R. per consuetudinem non tolli *directè* Sacramentum sed tantùm invalidari contractum, quo invalidato hoc ipso non est matrimonium & consequenter non est Sacramentum. sicut factum est, quando Concilium Trid. invalidavit matrimonia sine Parocho & testibus contracta.

II. *Sponsalia de futuro* cum aliâ Personâ contractâ (ut jam insinuatum) impediunt matrimonium cum aliâ, ita ut nisi justa causa dissolvendorum priorum sponsalium subsit, matrimonium cum aliâ sine peccato mortali, & onere restituendi damnum priori sponsæ, contrahi non possit, tenebit tamen si defacto contractum fuerit, *teste Sanch. lib. 1. disp. 48.* quemad- 4

modum de Jure Civ. re duobus venditâ præfertur is, cui insuper tradita est. *l. quoties. 15. C. de rei vindic.* Dico autem, nisi justa causa subsit, nam variæ causæ sunt ex quibus priora sponsalia dissolvi possunt. ut 1. ex mutuo vnanimi dissensu. 2. ex fornicatione ex alterutrius partis contingente post sponsalia, jux. reg. *frangenti fidem &c.* imò ex communi sententia sponsus propter antecedentem fornicationem sponsæ, quæ tempore contractorum sponsalium ignorabatur à sponsalibus resilire potest, non autem sponsa propter antecedentem fornicationem sponsi, quia maius est dedecus, si sponsa corrupta ducatur, quàm si vir fornicationem commiserit. 3. ex notabili deformitate superveniente in sponsâ *c. quemadmodum de Iurejurando.* 4. ex diuturnâ absentiâ sponsi *c. de illis. 5. de sponsal. Barb. in d. c. 5. n. 5.* 5. ex qualibet notabili & gravi mutatione superveniente, quâ præcognitâ spon-

ſalia non fuiſſent contracta, quia intelliguntur contracta rebus ſic ſtantibus. *Navar. de matrim. c. 22. n. 47.* Verùm hic adnotandum eſt, quòd ſi lis inter deſponſatos oriatur ſuper validitate vel invaliditate ſponſalium, quæ amicabiliter componi non poſſit, Parochus non debeat eſſe Judex, & cauſam ſuâ ſententiâ dirimere, ſed debeat partes ad Conſiſtorium Epiſcopale dimittere. *tex & DD, in c. 1. in fin. de Conſang. & Affin. Concil. Trid. ſ. 24. de Sacram. matrim. can. 14.* 6

III. *Tempus feriarũ* impedit matrimonium, quòd hodiè ex Concil. Trid. *ſ. 24. de ref. mat. c. 10.* ita determinatum eſt, ut non liceat contrahere ſolennes Nuptias à 1. Dominica Adventus uſque ad feſtum Epiphaniæ, & à die Cinerum uſque ad octavam Paſchæ. dico ſolennes Nuptias; ſponſalia autem vel etiam matrimonium ſine externâ ſoleñitate vel pompâ, ſaltem cum licentiâ Epiſcopi contrahi poſſe, tradit Barb. *ib. n. 60.* 7

IV. *vo-*

4. *Votum simplex castitatis* prohi-
8 bet matrimonium contrahere, & de facto contractum sit, facit, ut debitum conjugale petere non liceat voventi, quámvis alteri parti petenti (saltem tacitè signis ingenio aut conditione inquit Nav. *in Man. c. 16. n. 30.*) reddere teneatur. Sed quia quo-
9 tidianum periculum est, ne vovens petendo debitum peccet, ideò etiam Episcopum in tali voto dispensare posse rectè docet Nav. *d. n 30.* & quidem ad officium Confessarij pertinere, ut ab Episcopo dispensationem hanc impetret, videtur insinuare Sanch. *lib. 9. disp. 27. n. 10.* ubi etiam docet, quòd Confessarius non teneatur monere voventem huius obligationis non petendi debitum ignarum inunicibiliter, si timeat fore, ut nihilominus à petitione abstenturus non sit, nisi in proximo possit dispensatio impetrari.
10 Cæterùm illud quóque hic advertendum est, quòd votum ingrediendæ re-

ligio-

ligionis, item votum non contrahendi matrimonium, faciat quidem matrimonium primum, & eo dissoluto quodcúnque illicitum, sed tamen contracto semel matrimonio non obliget ad abstinendũ â petitione debiti, quia qui tantùm ingressum, vel religionem, vel cælibatum, aut clericatum vovit, necdum castitatem vovit, nec censetur se voluisse ad illam ante actualem status illius susceptionem obligare, ut benè observat Sanch. *d. L. 9. disp. 33. n. 14. & seq* Graffis. *1. p. decisionum. lib. 2. c. 24. n. 20.* Nec obstat quòd votum Castitatis sit substantiale religionis, & consequenter qui religionem vovit etiam castitatem vovisse videatur? nam ℟. aliud esse vovere religionem, id est, actu votum professionis religiosæ etiam vnum tantum (v. g. obedientiam secundum certam regulam emittere) & aliud vovere ingressum in religionem: priori casu procedit argumentum, non verò po-

ſteriori aliàs ſequeretur, quòd is, qui tantùm ingreſſum in religionem vovit, jam ante ingreſſum adhuc in ſæculo exiſtens, teneretur ad paupertatem ſervandam, abdicationem dominij, ad jam tunc obediendum prælato, &c. quia non tantùm votum caſtitatis, ſed & paupertatis & obedientiæ ſunt religionis ſubſtantialia *juxtex. in c. cum ad monaſterium. de ſtatu mon.*

§. II.

De Impedimentis dirimentibus.

IMpedimenta *dirimentia* vulgatis verſiculis comprehenduntur.

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultus. diſparitas, vis, ordo, ligamen, honeſtas,
Si ſis affinis, ſi fortè coire nequibis.

SEC-

SECTIO I.

DE ERRORE.

1. *Error alius in Persona, alius in qualitate.*
2. *Error in qualitate non causat impedimentum, nisi in 3. casibus.*
3. *Quando dicatur error qualitatis redundare in erorem Personæ.*
4. *Consensus vel dissensus habitualis nihil operatur, & ibidem, quòd dolosa persuasio non irritet matrimonium, irritet tamen sponsalia.*
5. *Error servilis Conditionis an etiam hodiè locum habeat, maximè in illis qui vulgò* Leibaigne *vocantur.*

ERror alius est in substantia seu persona, ut si putans se contrahere cum Berthâ contrahat cum Titiâ, &c. alius in qualitate v. g. si putans se ducere divitem, ducat pauperē. 1

Porrò solus *error in personâ* causat impedimentum dirimens, non item *error in qualitate*, nisi in 3. casibus 2

nimirum. 1. si qualitas deducatur in conditionem expressam, v. g. duco te si sis dives, &c. conditio enim suspendit consensum & dum deficit, etiã consensum, & consequenter contractum deficere facit. 2. si error qualitatis redundet in errorem personæ, si
3 videlicet contrahens non tam habuerit respectum ad qualitatem, quàm per ipsam qualitatem certam aliquam personam, aliam & distinctam â præsenti sibi determinaverit. v. g. si volens contrahere cum primogenitâ Titij contrahat cum secundogenitâ, si nimirùm non tam ipsam primogenituram, quàm personam primogenitam consideret, vel si volens contrahere cum filiâ pulchrâ Titij, contrahat cum alterâ filiâ deformi non habendo respectum ad qualitatem pulchritudinis, quin potiùs ad ipsam personam, quàm pulchritudo ab alterâ distinguit. Sed quid si aliquis ita sit di-
4 spositus, ut tametsi sciret non esse illam

lam quam intendit, nihilominus contraheret: vel écontra si sciret non esse divitem vel nobilem nullo modo contraheret, an his casibus valebit aut dirimetur matrimonium? ℟. talem dispositionem esse tantùm consensum vel dissensum *habitualem*, qui nec ad validandum, nec dirimendum matrimonium sufficit, antequam aliquis actualem consensum vel dispensum ponat. v. g. dicendo, aut deliberatè cogitando, contraho cum istâ quámvis non sit Titia quam intendo, vel non consentio in istam nisi sit dives, vnde licet sponsus ex falsâ jactatione divitiarum sponsæ dolosè persuasus sit ad contrahendum matrimonium, tamen resilire non poterit, quia illa regula, quod dolus dans causam contractui bonæ fidei faciat contractum nullum, *jux. l. Et eleganter 7. ff. de dolo.* locum quidem habet in alijs contractibus ordinarijs, ubi de rebus nostri Patrimonij agitur, ut in emptione, locatio-

ne & similibus: non autem in illis contractibus, qui traditione *sui ipsius* perficiuntur, ut in professione religiosa, & matrimonio. *arg. c. dudum. &c. ex parte. De conversf. Conjug. Gutier. de matrim. c. 89. n. 6.* etenim in prioribus contractibus, cùm omnia ex bona fide agi debeant, Juris interpretatione censetur subesse illa tacita conditio, *si ita est ut dicis, &c.* at verò in posterioribus cùm regressio ex monasterio, sicut & separatio matrimonij sit scandalosa, ideo professio & contractus matrimonij censentur fieri sine omni restrictione voluntatis, aut reservatione tacitæ Conditionis.

5 In sponsalibus tamen de futuro, utpote in quibus necdum intervenit actualis sui traditio, sed tantùm promissio de tradendo, procedere supradictam regulam, quòd ex dolosa persuasione irritari possint, docet Sanch. *lib. 1. disp. 64. 3* olim quando servitus in usu erat, error servilis conditionis di-

rime-

rimebat matrimonium. *c. 2. 3 & fin. de conjugio serv.* cum enim servi fuerint in omnimodâ potestate dominorum, ita ut ad remotissimas partes mitti, venundari, diversis negotijs occupari potuerint, cohabitatio matrimonialis inter liberum & servum nō potuisset commodè haberi. at hodiè cum servitus in orbe Christiano majori ex parte sublata sit, quæri tantùm potest, an error in illa conditione personæ, quæ vulgò in Germania die Leibaigenschafft vocatur, faciat impedimentum dirimens? Tales homines proprios seu Leibaigne / aliqui adscripticios (qui scilicet glebæ aut fundo colendo perpetuò adscripti sunt) vel originarios, qui ex adscripticijs nati sunt, censent, *Gail lib. sing. de pignorat. obs.* 8. *n.* 1. aliqui servos anonymos appellant, utpotè qui partim de servis, partim de adscripticijs, partim de libertis participent. *Zasius respons. lib. 1. c. 3. & consil. 19. n. 3.*

Sed

Sed quidquid sit de statu istorum hominum, certum est quòd servi propriè dicti non sint, ideoque favore matrimonij probabilius videtur, ea quæ de erorre in qualitate servili sunt constituta, non esse ad statum istorum hominum extendenda, *arg. eorumque de adscripticijs docet Sanch. de matrim. lib. 7. disp. 19. n. 9.*

SECTIO II.

DE CONDITIONE.

1. *Conditio contra substantiam matrimonij apposita annullat illud.*
2. *aliæ conditiones turpes reijciuntur.*
3. *Hodiè non est in usu matrimonio adijcere conditionem.*

1 CONditio contra substantiam matrimonij apposita annullat illud, dicitur autem conditio contra substantiam matrimonij, quæ est, vel contra finem, vel contra vinculum, vel contra fidem matrimonij. contra finem.

duco

duco te si generationem prolis evitaveris: contra vinculum: duco te, donec inveniam aliam digniorem: contra fidem, si te adulterandam dederis pro quæstu, &c. reliquæ verò conditiones turpes, aut impossibiles. v. g. si Titium occideris, &c. favore matrimonij reijciuntur, & matrimonium habetur ac si purè contractum esset. *c. fin. de Condit. appos.* 2

Plura subtilia, & difficilia circa hanc conditionum materiam tradunt interpretes, quibus tamen non immoror, cum hodiè quandò post Concil. Trid. matrimonia publicè coram Parocho & testibus contrahuntur, vix sit auditum alquandò conditionem adijci. imò hodiè de consuetudine videtur recepta illa doctrina, quam aliqui DD. apud Barb. in collect. tradunt *in c. super eo. 5. de condit appos. per textum ibidem*, quod videlicet partes adijcientes conditionem matrimonio non tam matrimonium, quàm potius spon-

ſponſalia de futuro contrahere velle cenſeantur.

SECTIO. III.

DE VOTO.

1. *Votum ſolenne eſt impedimentum dirimens.*
2. *Matrimonium ratum diſſolvitur etiam quoad vinculum per ingreſſum in Religionem.*
3. *Matrimonium Conſummatum per ingreſſum in Religionem tantùm quoad cohabitationem diſſolvitur, & quæ requirantur.*

1 VOtum eſt impedimentum dirimens quod eſt *ſolenne* per profeſſionem in aliquâ religione approbatâ factum. *c. vn. de voto in 6.* Habent
2 præterea novi conjuges matrimonio jam contracto duos menſes ad deliberandum, an matrimonium conſumare vel potius Religionem ingredi velint, neque ante id tempus elapſum ad

ad consum̃ationem cogi poterunt. quòd si religionem alterutra pars ingressa fuerit matrimonium *ratum* etiam quoad vinculum dissolvetur, & alter forsan in sæculo remanens aliud matrimonium inire poterit, sed tunc primùm, quandò ingrediens professionem fecerit. *c. 2. & 7. de convers. conjug. Host. eod. tit. n. 11.* dico autem matrimonium *ratum* (cui scilicet necdum copula carnalis accessit) hoc modo dissolvi posse. at verò matrimonium semel *consummatum*, quoad vinculum nunquàm, quoad mutuã autem cohabitationem eo tantùm casu per ingressum in religionem dissolvi potest, si alter conjux expressam licentiam ingrediendi dederit, & ipsemet etiam sequi, vel saltem (si propter senium, aut valetudinem de incontinentia suspectus non sit) in sęculo remanens Voto simplicis castitatis se obligare velit. *c 4 & seq. c. vxoratus. 8. de Convers. conjug.*

SECTIO.

SECTIO IV.

DE COGNATIONE.

1. *Cognatio triplex.*
2. *Cognatio spiritualis inter quos contrahatur.*
3. *Non contrahitur inter Personas, quæ non sunt in Concilio Trid. expressæ.*
4. *Baptizans in necessitate contrahit cognationem non autem tenens.*
5. *An levans infantem per Procuratorem contrahat cognationem, diversæ sunt sententiæ.*
6. *Episcopus potest dispensare in lure dubio.*
7. *Declarationes Cardinalium non ligant, nisi appareant in authentica formâ.*
8. *Cognatio Naturalis quæ.*
9. *Cognatio Naturalis in quibus casibus dirimat matrimonium.*
10. *Regulæ pro computatione graduum in arbore Consanguinitatis.*
11. *Cognatio legalis unde oriatur.*

12. Pro

12. *Probabilius est, quòd ex sola arrogatione.*

13. *In quibus gradibus dirimat matrimonium.*

14. *Non sufficit aliquem quocunq; modo haberi pro filio.*

15. *Vnio prolium non inducit cognationem legalem.*

COgnatio est triplex, Spiritualis, Naturalis & legalis. 1

De Cognatione Spirituali.

Hæc cognatio oritur ex *Baptismo* & *Confirmatione*.

Per *Baptismum* contrahunt inter se cognationem spiritualem Patrini & Baptizatus, huiusque Pater & Mater, deinde etiam baptizans & baptizatus ac baptizati Pater & Mater. 2

Similiter per *Confirmationem* contrahitur Cognatio inter confirmantem & confirmatum ac confirmati Patrem & Matrem, & tenentē seu Patrinum, *Trid. s. 24. de ref. Mat. c. 2.*

Inter

3 Inter alias autem Personas, quæ hic expressæ non sunt, nulla cognatio hodierno Jure contrahitur. vnde Patrinus sororem baptizati, baptizatus filiam Patrini, Pater baptizati sororem Patrini, aut etiam eius uxorem viduâ relictam (quia Cognatio spiritualis â viro contracta non transfunditur in uxorem, nisi & ipsa tenuerit Infantem) ducere non prohibetur. Multo minùs inter ipsos Patrinos aliqua cognatio contrahitur, & ita poterit Patrinus Matrimonium contrahere cum eâ, cum quâ simul alienum filium suscepit. *vid Barb. in Collect. ad d. c. 2. Trid. n* 18. *&. seqq.*

4 Præterea si in necessitate propter instantem mortem Baptismus â laico conferatur, baptizans quidem ad baptizatum eiusque parentes spiritualem cognationem contrahet, qui tamen tenuerit infantem, is ex probabiliori sententia nullam contrahet cognationem, cum enim non spondeat vel re-

spon-

ſpondeat pro infante, ſicut in Baptiſmo ſolenni fieri ſolet, non cenſebitur eſſe ipſius Patrinus ſeu Pater ſpiritualis, ſed potiùs merè per accidens & commoditatis causâ eundem tenuiſſe. *Sanch. lib. 7. diſp. 62. n. 14. Sot. in 4. diſt. 42. q. 1. art. 2.*

Sed quid, ſi aliquis per Procuratorem infantem ex Baptiſmo levârit, ſicut magni domini facere ſolent, uter cognationem contrahet, an principalis, vel procurator? Rſ. mihi imprimis non videri magnum dubium, quòd ipſe procurator cognationem non contrahat, quia ſolus contactus infantis non efficit cognationem, niſi quis eâ intentione faciat, quòd ex propria ſua Perſona velit pro ipſo ſpondere & Pater eius ſpiritualis exiſtere, aliàs quivis quocunque modo inter baptizandum contingeret vel teneret infantem cognationem ſpiritualem contraheret. At verò major eſt difficultas, quid de ipſo principali, qui Procura-

cura-

curatorem constituit, dicendum? Pro utraque parte plurima argumenta adducit Nav. *De cognat. spir. Consil. 6.* & tandem Negativè concludit, videl. neque ipsum Principalem contrahere aliquam cognationem spiritualem, eò quòd Canones, qui de hac Cognatione loquuntur, videantur requirere actualem *susceptionem levationem vel contactum*, ut passim in *Caus. 30. q. 1. 2, 3. & 4.* atque idem complures sentientes allegat Barb. *in Collect. ad d. c. 2. Trid. n. 26. vers. contra.* Ego quidem non renitor, quin ista sententia theoricè sit valde probabilis, quemadmodum de Jure Civili in actione famosâ condemnatus per Procuratorem, nec ipse (quia sententia lata est in Procuratorem) nec procurator eius (quia non suo sed alieno nomine egit) infamiam contrahit. *l. furti. 6. §. 2. & l. servus. 14. ff. De his, qui not. infam.* Attamen quia ex adversa parte & pro sententiâ affirmativâ etiam

plurim

plurimi ſunt gravesDD. relati âBarb. *d. l.* & â S. Congreg ita declaratum ait Eman. Sà. *v. matrimonium. de impedim. dirim n 5.* ideo planè opinor, Parochos non debere priorem ſententiam inconſulto Eipiſcopo practicare; dico, inconſulto Epiſcopo. nam 6
quando dubium occurrit, an ſit aliquod impedimentum inter contrahentes, vel an indigeant diſpenſatione datâ utrinque probabilitate ſententiæ, tunc poſſe Epiſcopum ad cautelam diſpenſare, vel certè declarare, nullâ opus eſſe diſpenſatione, docent Eman. Sà *v. diſpenſatio n. 1.* Laym. *de LL. c. 22. n. 4.* Garc. *de benef. p. 7. c. 2. n. 10.* Nec oberit huic declarationi vel diſpenſationi illa Declaratio Card. quam allegat Sà. *d. v. matrimonium.* quaſi verò eius authoritate ſententia affirmativa debeat incunctanter teneri, non oberit, inquã, 7
quia non conſtat de illa declaratione in formâ authenticâ. dicit enim Mo-

dernus *De supplicat. ad Sanctissimum p. 2. c. 30. §. 5. n. 4.* Urbanum VIII. mandasse, ne Declarationibus Cardinalium sive impressis sive manuscriptis aliqua fides adhibeatur in Judicio vel extra, nisi in authenticâ formâ solito sigillo & subscriptione Cardinalis Præfecti ac Secretarij ejusdem Congregationis munitæ fuerint, eo quòd compertum sit, plurimas falsas declarationes circumferri. *Barb. Iur. Eccles. univ. lib. 1. c. 4. n. 83.*

De Cognatione Naturali.

8 NAturaliter cognati seu consanguinei dicuntur, qui inter se communicationem Sanguinis habent; est autem Cognatio genus ad *Agnationem* & *Cognationem in specie. Agnati* dicuntur, qui ex linea Paterna nobis consanguinei sunt, quique idem nobiscum Nomen & gentilitatis Insignia tenent: *Cognati* verò, qui ex linea materna nobis conjuncti, ut frater

vel ſoror matris eorumque liberi.

Porrò conſanguineorum alij ſunt *aſcendentes*, alij *deſcendentes*, & alij *collaterales*. *aſcendentes* dicuntur, qui nos progenuerunt, ut Pater, avus, proavus: *deſcendentes*, quos nos progenuimus, ut filius, nepos, &c. *Collaterales* autem ſunt illi, qui nec â nobis, nec nos ab ipſis ortum habemus, ſumus tamen eodem ſanguine propagati, ut frater, ſoror, eorumque liberi & nepotes.

Inter *aſcendentes* & *deſcendentes* 9
matrimonium in perpetuum eſt prohibitum: inter *Collaterales* verò olim quidem erat prohibitum uſque ad ſeptimum gradum, hodiè autem hæc prohibitio uſque ad *quartum inclusivè* limitata eſt. *c. fin De cland. deſponſ. Clem. un De conſang. & affin.*

Pro computatione graduum in ar- 10
bore Conſanguinitatis ſequentes regulæ notandæ ſunt.

I. in *linea recta* ſeu aſcendentium

& descendentium *tot sunt gradus, quot sunt Personæ unâ demptâ.* sic nepos est Avo conjunctus in secundo gradu, quia nepos, ejus pater, & avus sunt 3. Personæ, jam unâ demptâ manent duæ & consequenter duo gradus.

II. In *linea transversa* seu Collateralium primo invenîendus est communis *stipes*, seu illa Persona, â quâ ambæ, de quarum conjunctione quæritur, descendunt. Invento stipite videndum est, an utraque persona *æqualiter* distet â stipite, vel utrùm una sit remotior: sic duorum fratrum filij *æqualiter* distant ab Avo, qui est communis eorum stipes, contra ego & mei fratris filius distamus *inæqualiter*, quia ille per unum gradum magis recedit ab Avo, quàm ego, nam is, qui est ipsius avus, est meus Pater.

III. In *linea transversa æquali* seu quando utraque persona eodem modo distat â *stipite*, regula est: quòd tot *gradu distent inter se, quoto â comma*

ni stipite. sic duorum fratrum filij sunt sibi in secundo gradu conjuncti, quia quilibet eorum est Avo communi *stipiti* in secundo gradu conjunctus.

IV. In *linea transversa inæquali* regula est: quòd *remotior trahat ad se viciniorem*, id est, quoto gradu remotior distat â *stipite*, toto distant inter se. sic quia mei fratris filius duobus gradibus distat â meo Patre communi nostro *stipite*, & ego tantum uno, ideò etiam duobus distamus inter nos.

Est autem hîc adnotandum, quòd facilè sit scire quoto gradu aliquis distet *â stipite*: nam cùm quilibet respectu *stipitis* sit *descendens*, adhibenda erit prima regula, ita ut quot sunt Personæ numerando inclusivè *â stipite* usque ad illam personam, de cujus cognatione quæritur, tot unâ demptâ sint gradus.

De Cognatione legali.

Legalis Cognatio oritur ex *adoptione*, 15

quæ dicitur actus legitimus, per quem is, qui filius non est, in filium assumitur Dividitur porro *adoptio* in *arrogationem*, & *adoptionem in specie*. *Arrogatio* dicitur, quando homo sui Juris authoritate principis in filium assumitur, ac in arrogantis potestatem & familiam transit: *adoptio* verò *in specie* dicitur, quando quis in sui Patris vel Avi naturalis potestate remanens in filium authoritate Magistratus assumitur. §. 1. *Inst. De adopt.*

12 Sed quærunt DD. an impedimentum *legalis cognationis* tam ex *arrogatione* quàm ex *adoptione in specie* nascatur? Hodiè magis recepta videtur sententia, quòd ex sola *arrogatione* nó verò ex *adoptione* nascatur impedimentum, tùm quia in Arrogatione major est conjunctio propter æqualem subjectionem & potestatem patriam, in quam transit Arrogatus, non item adoptatus ab extraneo, qui manet in potestate sui Patris naturalis, tum

quia

quia in arrogatione propter ſimultaneam cohabitationem occaſione matrimonij contrahendi magnũ fuiſſet incontinentiæ periculum, niſi leges matrimonium prohibuiſſent, & ita omnem prætextum ſuſpectæ converſationis ſuſtuliſſent: tum deniq́ue quia impedimenta matrimonij tanquam odioſa in dubio potius reſtringenda ſunt quàm amplianda. *arg. tex in Concil. Trid. ſ. 24. de ref. matr c. 2. in princ. Sylv. v matrimonium 8 ſub. n. 8. verſ. quartum. Sanch. lib. 7. diſp. 63. n. 9. Zoeſ. ad tit: Decretal. De cognat. legal. n. 2.*

Ex arrogaione igitur naſcitur impedimentum 1. in linea recta inter *arrogantem & arrogatam* ejuſq́ue deſcendentes etiam finitâ arrogatione. 2. inter *arrogatum* & *vxorem arrogantis*, propter quandam quaſi affinitatem, eamq́ue arrogatus tam durante, quàm finitâ arrogatione Novercæ loco habere & venerari debet. *l. adoptivum* 13

tivus. De ritu nupt. 3. vice versâ inter *arrogantem & vxorem arrogati* etiam finitâ arrogatione impedimentum dirimens est, atque sicut arrogatus vxorem arrogantis tanquam novercam, ita arrogans vxorem arrogati tanquam nurum habere debet. *tex. & DD in d. l adoptivus.* §. 1. 4. in linea Collaterali eo usque se extendit impedimentum quousque Patria potestas, scilicet tantum ad filios vel filias naturales legitimos in potestate arrogantis constitutos. unde solutâ arrogatione inter collaterales nullum est impedimentum, & durante etiam arrogatione tenet matrimonium cum filia emancipata arrogantis. Quid autem si quis duos extraneos nimirum filium & filiam arrogârit, an inter eos possit esse matrimonium? R. affirmativam esse probabilem, quia in isto casu non faciunt Jura mentionem alicujus impedimenti, & licet hic quoque subsit periculum incontinentiæ prætextu ma-

matrimonij propter ſimultaneam cohabitationem, favore tamen matrimonij & in odioſis non valet argumentum â paritate rationis deductũ. *Sanch. d. l. diſp. 63. n. 28. Zoeſ. d. tit. n. 6.*

Poſtremò ex hactenùs dictis facilè colligitur non ſtatim cenſeri aliquem adoptatum & *legaliter* cognatum, ſi forſan ex miſericordiâ in defectu propriorum parentum tanquam filius alimentetur, niſi ſolennitates Juris interveniant, videl. ut arrogans 18. annis ſit Major arrogato, ut ſi impubes ſit arrogatus cauſæ cognitio adhibeatur, an expediat pupillo arrogatio, ut authoritas Principis accedat & alia, quæ præſcribuntur in §. *cum autem 3. Inſt. De adopt. & l. 2. & l fin. C. eod.* 14

Deinde quamvis in Germaniâ *vnio prolium* (vulgò die Eintindſchafft oder Erbverbrüderung) ſpecies ſit Adoptionis ejuſdemque ſolennitates requirat teſte Gail. *lib. 2. obs. 125 n. 6.* 15

& 8. nihilominus verius puto exinde non nasci impedimentum legalis cognationis, quia, ut prædictum, non omnis adoptio causat impedimentũ, & talis *unio* non tam fit propter majorem conjunctionem personarum, quàm potius bonorum, ut diversorum matrimoniorũ liberi æqualiter in bonis tam paternis quam maternis succedant. quare si viduus ducat viduam, & ambo jam prius ex alio matrimonio habeant liberos, quos deinde per *unionem* conjungant non obstante hac conjunctione adhuc inter eos matrimonium esse poterit. cùm enim hæc *unio prolium* sit de Jure scripto incognita & tantùm de consuetudine introducta leges nihil de ea constituerunt, sine textu autem expresso aliquod impedimentum statuere plane inconveniens videtur. *auth. consideremus. De Triente & semisse.*

SECTIO. V.

DE CRIMINE.

1. *Adulterium cum promissione facit impedimentum dirimens,*
2. *Requiritur copula adulterina perfecta.*
3. *Sponsalia durante matrimonio contracta sunt invalida.*
4. *Non requiritur ut simul & semel fiat adulterium & promissio.*
5. *Sufficit promissio acceptata, licet non sit facta repromissio.*
6. *Acceptio debet declarari aliquo signo externo.*
7. *Etiam simulata promissio sufficit.*
8. *Verba promissionis debent habere obligationem sponsalium.*
9. *Occisio conjugis conjuncta cum adulterio, vel ex machinatione utriusq; contrahentium proveniens dirimit matrimonium.*

PEr *crimen* hic intelligitur Crimen *Adultery & homicidij*: nam

1 *Crimen adulterij* conjunctum cum *promissione* futuri matrimonij facit impedimentum dirimens, hoc est, si adulterans suo complici promittat matrimonium, ubi conjux legitimus mortuus fuerit, hoc ipso nullum inter eos matrimonium esse poterit, quia talia pacta sunt scandalosa & inducunt votum captandæ mortis Conjugis innocentis. *tot. tit. Ext. De eo qui duxit, quam poll. &c.*

Debent autem aliquot conditiones concurrere, ut hoc impedimentum
2 inducatur. I. enim requiritur, ut copula adulterina sit perfecta & non tantùm attentata, quia in pœnalibus termini sunt restringendi *Glossa & Abbas in c. fin. De eo qui duxit.*

II. *Adulterium & promissio* copulativè requiruntur. neque solum *adulterium*, nec sola *promssio* facit impedimentū dirimens *c fin d.t.* est tamē talis promissio constante matrimonio invalida & vim sponsalium non habet, quia

quia est peccaminosa, contra bonos mores, & votum captandæ mortis inducens. *Pan. in d. c. fin. n. 2.* Sed non 4
requiritur, quòd eodem tempore simul & semel concurrant *Adulterium & promissio*, dummodo utrumque fiat vivente conjuge innocente, *d. c. fin.* & dummodo promissio, quæ adulterium præcessit, non sit omninò remissa aut mutuo consensu dissoluta. *Sanch. lib. 7. disp. 79. n. 3. Gutierez. de matrim. cap. 105. n. 26.*

III. Debet esse *promissio accepta* 5
ab alterâ parte, verba enim accipienda sunt cum effectu, & promissio non acceptata nuda pollicitatio est, quæ nullam obligationem parit. *l. 2. §. sed si donaturus. & l. absenti. ff. De donat. l. nuda pollicitatione. C. de contrah. stip.* imò volunt aliqui non contemnendi DD. citati apud Sanch. *d. disp. 79. n. 19.* non sufficere ut promissio quocunque modo acceptetur, sed insuper requiri, ut ex parte acceptantis repro-

missio fiat, quæ in sponsalibus desideratur. Contraria tamen sententia, quòd sola acceptatio sufficiat, videtur *verbis* & *menti* Juris conformior; *verbis* quidem, quia *tex. in c. 1. c. significasti, c. veniens. c. fin. De eo, qui duxit, & c. relatum. 31. q. 1.* hoc impedimentum statuentes, solius fidei datæ cum adulterio meminerunt, & nullibi invenitur alterius repromissio desiderata: *Menti* autem, quia non minus inducitur votum captandæ mortis si promissio acceptata intervenerit, quàm si etiam repromissio accesserit, maximè cum talis promissio in dubio censeatur merè gratuita propter amorem adulterinum & inductionem ad peccatum, ac consequenter statim post acceptationem obligans, non verò respectiva & sub tacitâ conditione repromissionis data, sicut in ordinarijs sponsalibus fieri solet. *Sanch d. l.*
6 *n. 20. & seq.* Illud verò, concedendum est non censeri acceptatam promissio-

missionem si pars, cui facta est, nullo verbo aut signo externo illam acceptationem declarârit, licet fortè in animo reverà acceptaverit; tùm quòd acceptatio talis promissionis tanquam mala & delictum non præsumatur. *l. merito. ff. pro socio.* tùm etiam quòd hoc impedimentum *Criminis* sit statutum in pœnam adulterorum & malè contrahentium, Actui autem merè interno & cogitationi Jura regulariter non soleant pœnam infligere. *c. Cogitationis. 14. De Pœnit. dist. 1.*

Sed quid si faciens promissionem ex posttacto dicat, sibi non fuisse animum se obligandi, sed tantùm mediante promissione alterum inducendi ad peccatum? ℟. nihilominus natum esse impedimentum: quia saltem ex parte illius, qui promissionem seriò intellexit, subest periculum captandæ mortis, & in delictis regulariter intentio ex actu externo præsumitur. 7

l. 1. C.

l. 1. C. ad leg. Corn. de sic. & l. 5. C. de injurijs. Ioan. And. in c. significasti. n. 2. De eo qui duxit. Graffis 1. p. decis. lib. 2. c. 85. n. 8.

8 IV. Demùm requiritur, ut verba promissionis sint talia, quæ obligationem contrahendi matrimonij exprimant, & ordinariè vim sponsalium habere censeantur: quarè non causabitur impedimentum, si adulter dicat suæ complici: *nisi essem uxoratus ducerem te*: quia hic necdum est positiva voluntas contrahendi post mortem uxoris, sed tantùm quædam *velleitas*. Item si dicat: *post mortem uxoris meæ nullam aliam ducam quàm te*; nam neque ista verba inducunt obligationem sponsalium (nisi ex utraque parte tractatus de sponsalibus precessisset) sed censentur habere implicitam conditionem: *si aliquam ducturus sum*, unde si talem promissionē faciens velit ab omni matrimonio abstinere, id liberè facere potest. *vid. Sanch. d. disp. 79. n. 18. & lib. 1. disp. 19 per tot.* Al-

Alterum *crimen*, quod impedimentum constituit est *homicidium*, seu occisio conjugis innocentis facta intentione alterius matrimonij. Unde si adulterium commissum sit & vel unus tantùm ex adulteris in mortem conjugis instigatione, auxilio, vel consilio machinatus sit, non poterit ampliùs inter eos esse matrimonium, quàmvis cœteroquin nulla promissio intervenerit, requiritur tamen, quòd mors innocentis secuta sit, nam sola machinatio non sufficit. *c. siquis vivente. 31. q. 1. c. 1. De Convers. infid. c. significasti. De eo qui duxit.* Quod si ambæ personæ, quæ volunt contrahere, machinatæ sint in mortem innocentis conjugis, nascetur impedimentum dirimens, licet nec adulterium nec promissio concurrerit. *d c. 1. De convers infid.* 9

(:✠:)

SEC-

SECTIO VI.

DE DISPARITATE Cultus.

1. *Ex continuo usu Ecclesiæ irritum est matrimonium fidelis cum infideli.*
2. *Matrimonium Catholici cum hæretica est illicitum, non tamen invalidum, & quid in Germaniâ?*
3. *Pacta, ut liberi aliqui in fide hæretica educentur, sunt impia,*
4. *Contrahentes in infidelitate cum impedimento, an sint separandi post conversionem?*
5. *quid Iuris si unus tantùm ex conjugibus ad fidem convertatur?*

1 PRopter *disparitatem cultus* irritum est matrimoniũ â fideli contractũ cum infideli, juxta illud Apostoli. 2. *ad Cor. 6. Nolite jugum ducere cum infidelibus, &c.* quamvis autem hic textus, sicut & alij, qui ex scriptura & Jure Can: allegantur, *ut c. cave. c.*

non

non oportet. & c. judæi. 28 q. 1. non loquantur in proprijs terminis de irritatione, sed tantùm de prohibitione matrimonij fidelis cum infideli, tamen quòd ex continuo usu Ecclesiæ etiam irritum habeatur matrimonium fidelis cum infideli contractum, testis est Sanch. cum Soto, Bellarmino & alijs *lib. 7. disp. 71. n. 8.* citatis

Matrimonium autem Catholici cum hæreticâ est quidem illicitum & sine peccato non contrahibile, non tamen est invalidum. imò in Germaniâ ac alijs locis ubi hæretici permixti cum catholicis vivunt planè non esse illicitum matrimonium Catholicæ personæ cum hæretica tenet Sanch. *d. l. 7. disp. 72. n. 5.* Azor. *Instit Mor. lib. 8. c. 11. q. 5.* quia illa conjugia inter Catholicos & hæreticos ineuntur instar aliorum Contractuum ob communem pacem & tranquillitatem, dummodo Catholica liberè permittatur, & absque perversionis periculo in fide

fide permanere, quod periculum quia ordinariè subest maximè in fœminis, meo quidem Judicio difficulter excusandi sunt parentes, qui aliquando nulla necessitate cogente propter respectum aliquem merè temporalem v. g. honores aut divitias liberos suos
3 cum hæreticis conjungunt. Pacta verò, ut quidam ex liberis nascituris in fide Catholicâ, quidam in hæreticâ educentur, prorsus impia & contra Jus divinum pugnantia meritò asserit Sanch. *d. l.* Nav. *Consil. 1. De Constit. n. 63.*

Quòd si duo infideles inter se contraxerint matrimonium, id Jure Naturali validum erit, & propterea si ambo ad fidem convertantur ab invicem separari nec possunt nec debent
4 tametsi fortè cum aliquo impedimento dirimenti Jure tantùm humano Pontificio introducto v. g. in 2. vel 3. Consanguinitatis gradu lineæ collateralis contraxerint, quia eo tempore,

quo

quo contraxerunt, non ligabantur Jure Pontificio, utpotè qui per baptismũ nunquam in Ecclesiam ingressi ejusq; subditi effecti sunt: post Conversionem autem talia impedimenta censentur primùm supervenire matrimonio, & ideò illud non dirimunt, sicut si inter Catholicos post contractum matrimonium aliqua affinitas ex parte uxoris inducetur, ut quia ipsius soror â marito cognita est. *c. gaudemus. 8. De divort.* sin autem aliquis in infidelitate plures uxores habuerit, primam cum qua contraxit retinere debebit, quia cum illâ solâ verum fuit matrimonium; non obstante quòd fortassis eam ante conversionem repudiaverit, cùm talis repudiatio quantùm ad dissolutionem vinculi matrimonialis non valuerit, *d. c. gaudemus. vers. quia verò.*

Sed quid, si unus tantùm ex conjugibus infidelibus ad fidem convertatur altero nolente converti? R. si con- 5

jux

jux infidelis velit sine contumeliâ & blasphemia Creatoris cohabitare conjugi fideli, id esse concedendum: erunt enim in hoc casu observandi verba Apostoli. *1. ad. Cor. 7. si quis frater uxorem habet infidelem & hæc consentit habitare cum illo non dimittat illam, & siqua mulier fidelis habet virum infidelem, & hic consentit habitare cum illa non dimittat virum.* & paucis interjectis, *quòd si infidelis discedit, discedat: non enim servituti subjectus est frater aut soror hujusmodi, in pace autem vocavit nos Deus &c.* ex quibus Apostoli verbis colligitur, matrimonium in infidelitate contractum non hoc ipso dissolvi, quod alter ex conjugibus ad fidem convertatur, sed tunc demùm ex speciali Privilegio â Christo in fidei favorem concesso & per Apostolum promulgato dissolvi posse, si conjux infidelis nolit fideli pacificè cohabitare. *c. quanto, 7. De divort.*

SEC.

SECTIO VII.

DE VI.

1. *Differentia inter vim & metum.*
2. *Metu gesta, in alijs causis sunt rescindenda, in spiritualibus sunt ipso Iure nulla.*
3. *Qui dicatur justus metus.*
4. *Metus reverentialis an sit justus.*
5. *Metus non incussus ad eliciendam obligationem, vel propriâ culpâ causatus non est justus.*
6. *Raptus hodie impedimentum dirimens.*
7. *Casus qui ex multorum doctrina non comprehenduntur sub impedimento raptus.*

QUamvis *vis* & *metus* in propri- 1
js terminis differant, eo quòd *vis* sit corporalis coactio de præsenti alicui illata, *metus* autem dicatur mentis trepidatio instantis vel futuri periculi causa, quia tamen utrobique tollitur libertas Consensus, ideò quod in

contractibus de *vi* dicitur, de *metu* quoque cœteris paribus sentiendum est *l. 1. & seqq. ff. quod metus causa.*

2 Porrò ex comuni sententia gesta ex metu regulariter ipso jure valent, sed tantùm per sententiam Judicis rescinduntur, habent enim causam obligationis scili. consensum, cùm etiam voluntas coacta sit voluntas. *l. si mulier. 21. §. pen. ff. quod metus causa.* Attamen communis etiam est sententia, hanc juris subtilitatem non attendi in spiritualibus, in quibus metu gesta ipso jure nulla sunt, præsertim in matrimonio, electionibus & votis, ad quorum substantiam non qualiscunq; voluntas sufficit, sed omninò libera requiritur. specialiter verò circa matrimonium pulchram rationem assignat Pan; *in c. cum locum. 14. De sponsal. n 7.* nimirum quòd metus præterquàm quòd non significet omninò voluntariam conjunctionem Christi cum Ecclesia (quam Sacramentum matri-

matrimonij denotat) adversetur etiam *bonis* matrimonij, ut *bono prolis*, cum propter displicentiam coactus nō intendat procreationi, & *bono fidei*, cum propter invitas nuptias conjuges facilè labantur in adulterium.

Sed vt *metus* faciat impedimentum, debet esse *justus* & ad eliciendam promissionem incussus.

Dico I. *metum* debere esse *justum*, qui scil in virum constantem cadat *c. ad audientiam 4. De his quæ vi metus-ve &c. l. 6. C. eod.* cujus metus plura, passim in Jure enumerantur exempla ut carceris, servitutis, verberum, mortis, &c *l. 3. & 4. l. qui in carcerem. 22. ff. d. t.* Licet autem jura loquantur de metu in virum cadente, nihilominus conditio personarum attendenda erit, ita ut levior metus in fœmina, quàm viro sufficiat, & ideò ex parte mulieris requiretur metus, qui cadat in constantem mulierem, teste Pan; *ind. c. cum locum. n. 6.* & no- 3

tabilem doctrinam ponit Barb. *in collect. ad c. sacris. De his quæ vi, &c. vers. pro resolutione.* quòd ille dicatur justus metus, per quem aliquis eligit minus malum ad vitandum majus. Deinde nomine justi metus is intelligitur, qui contra bonos mores irrogatur, non quem Judex pro sua Jurisdictione facit. *l. 3. §. 1. ff. quod metus causa.* unde sine dubio valebit matrimonium, tametsi Judex Ecclesiasticus sponsum per arrestationem aut Censuras ad contrahendum matrimonium cum sponsa ad sponsæ instantiam compellat.

4 Celebris est quæstio, an *metus reverentialis* sit *justus metus*, an valeat matrimonium si liberi aut subditi propterea contraxerunt, quia ob reverentiam parentum vel dominorum non sunt ausi contradicere? Quòd talis metus justus non sit, videtur evinci posse ex *l. ad invidiam. C. quod metus causa, l. fidejussor. 26. §. 1. De pignor. l. si Pa-*

si Patre, 22. *De ritu nupt.* in quibus locis satis declaratur, quòd sola *reverentia* pro justo metu allegari nequeat. Econtrario æquè fortiter pugnat. *l. pen. ff. De furtis, & l. 1. §. in summa. 6. ff. quarum rerum actio non d*[illegible]. ubi *metus* & *nimia reverentia* æquiparantur. In hac quæstione omissis aliorum sententijs breviter statuo, quòd *reverentia* superiori debita non indistinctè pro justo metu allegari possit, aliàs nullus foret locus efficaci contractui inter Dominum & subditum, vel in præsentiâ parentum, si prætensione *reverentiæ* quælibet cavillatio concederetur, quo sensu accipiendæ erunt leges primitùs allegatæ. Sin autem præter *reverentiam* alia insuper adminicula concurrant, ex quibus colligi possit, aliquem reverà fuisse invitum, ut inæqualitas contrahentium, periculosæ minæ, importunæ persuasiones, & ut verbo dicam, si modesta contradictio nihil juvisset,

tunc metus *reverentialis* etiam pro *justo* metu habendus erit. *vid Rota apud Farinac. in decis. crim. & test. decis. 242. Cov. de matrim. p. 2. c. 3. § 6 n. 4 Fachin 2. Controv. c. 96. Gutier. de matrim. c. 44. n. 31.*

§ Dico II metum debere esse ad eliciendam obligationem seu promissionem incussum, quare valebit matrimonium, si propter delictum in carcerem conjectus, ad favorem Judicis & sui liberationem impetrandam cum ejusdem filia contrahat, vel si puella in periculo latronum vel naufragij constituta, alicui ad se liberandum promittat matrimonium. *arg. l metum. 9. §. 1. ff. quod metus causa.* illud etiam matrimonium valere probabile est, quod contractum est ab eo, quem Pater in delicto cum filia deprehendit, eique minitatus est mortem vel accusationem, nisi filiam duxerit. nam metus, in quem quis se propriâ culpa conijcit, maximè si in compensationem dam-

damni illati exigat matrimonium, sicut in defloratione *jux. c. 1. & 2. De adult. & stupro*, non est satis justus ad matrimonium irritandum. *Guttier. de matrim. c. 76. n. 49.*

Præterea ex nova constitutione Concilij Trid. *s. 24. de ref. mat. c. 6.* inter *raptorem* & *raptam* quamdiu hæc in potestate raptoris manet, matrimonium consistere non potest, usquedum à raptore separata ac in loco tuto & libero constituta noviter in eũ consenserit. raptor autem excommunicationem & infamiam ipso Jure incurrit, raptamque dotare tenetur, sive uxorem duxerit, sive non duxerit. 6

Verùm cum impedimenta matrimonij sint odiosa & in dubio potiùs restingenda, ideò DD. ab hac constitutione Trid. aliquos casus excipiunt, ut. 1. si fœmina tantùm libidinis causa rapta sit, & ex post facto mutatâ voluntate in uxorem duci velit, quia Trid. tantùm loquitur de raptore violato- 7

latore libertatis matrimonialis, & æquitas suadet, ut violatio honoris per matrimonium compensetur. 2. si virũ rapi curet fœmina, eò quòd leges in dubio non accipiantur de casibus insolitis. *l. nam ad ea. ff. De. LL.* 3. si fœmina invitis parentibus, ipsa tamen consentiente rapiatur, quia raptus propriè non committitur in volentem. 4. si sponsus rapiat suam sponsam, nam contractis semel sponsalibus non amplius adimitur libertas matrimonialis, quæ iam per contractum sponsalium adempta est. Sed tamen exceptiones istæ non sunt apud omnes receptæ, & circà singulas pro contrariâ etiam sententia authores allegat Barb. *in collect. ad c. 6. Trid. n. 2. & seqq.* ut propterea in casu aliquo simili contingente Parochi pro tutiori deberent dispensationem aut declarationem Episcopi requirere, sicut etiam superiùs *sect. 4. de cognat. spirit. circà. fin.* dictum.

SEC-

SECTIO VIII.

DE ORDINE.

1. *Ordines sacri dirimunt matrimonium.*
2. *Quæ pœnæ sint contrahentium in ordinibus sacris.*
3. *Matrimonium non dissolvitur per susceptionem Ordinum, sicut per ingressum monasterij. Et ordinatus efficitur irregularis.*
4. *In minoribus ordinibus validè contrahitur matrimonium.*
5. *In minoribus contrahens est ipso jure privatus suis beneficijs; fallit tamen si tantùm sponsalia de futuro contraxit.*

CLerici in *majoribus ordinibus* constituti matrimonium contrahere nullatenùs possunt propter votum castitatis, quod Sacris ordinibus annexum est, & in quod sucipiendo Sacrum ordinem ipso facto consentire censentur, quamvis alijs verbis 1

non exprimant. *c. un. De voto in 6.*

2 Si defacto contrahere præsumpserint ad dimittendas mulieres & agendam pœnitentiam per suspensionis & excommunicationis censuram compellendi sunt *c. 1. De cler. conjug.* imò *ex clem. un. De consang. & affin.* ipso facto excommunicationem incurrunt, fiuntque irregulares, ita ut nec in susceptis ordinibus ministrare, nec ad altiores valeant promoveri: in qua tamen irregularitate post peractam pœnitentiam dispensare Episcopo concessum est, dummodo cum vidua non contraxerint. *c. 1. & 2. Qui clerici vel vov. & c. 4. De cler. conjug. c. fin. De bigam. non ord.*

3 Quid autem Juris, si post contractum matrimonium aliquis laicus suscipiat Sacros Ordines, anne tali casu dissolvetur matrimonium, sicut superius *sect. 3. n. 2.* de ingressu in Religionem dictum? De hac quæstione extat constitutio *in Extravag. un. Ioann.*

XXII.

XXII. De voto. quòd votum ſolennizatum per ſuſceptionem Sacri Ordinis dirimat quidem matrimonium poſt contrahendum, non autem, matrimonium antea contractum, etiamſi id per carnis copulam conſummatum non ſit, eo quòd nec jure divino, nec per ſacros canones reperiatur hoc ſtatutum. Præcipit item S. Pont. ut, ſi aliquis de facto poſt contractum matrimonium Ordinatus fuerit, id tamen necdum conſummaverit, per Ordinarium inſtanter moneatur & inducatur, ut Religionem ingrediatur, quod ſi forſan renuerit adimplere, ipſum, ſi uxor ejus inſtiterit, per cenſuram Eccleſiaſticam compellat contractum matrimonium conſummare. Cœterum poſt contractum Matrimonium Ordinatus efficitur irregularis & manet talis etiam ſoluto matrimonio, ſi tamen Religionem approbatam ingreſſus fuerit, & profeſſionem tacitam vel expreſſam fecerit, poterit cum

ipso Episcopus dispensare. *d. Extravag. un.* Sed quare potiùs Sacri canones statuerunt, ut per ingressum in Religionem dissolveretur matrimonium ratum quam per susceptionem sacrorum ordinum? R̃ illam (præter alias, quas refert gl. *in d. Extrav. un. in v. est censendum*) posse congruentiæ rationem assignari, quòd ingrediens Religionem censeatur spiritualiter mundo mortuus, *c. placuit.* 8. *ubi gl. in v. mortuus, 16. q. 1.* & ab omni consortio prioris sponsæ in perpetuũ separatus, è contra qui tantùm Sacros ordines suscipiens in sæculo remanet, multis occasionibus & tentationibus expositus sit, ad relictam sponsam mutatâ voluntate & reconcepto pristino amore revertendi.

4 Clerici in *minoribus ordinibus* constituti matrimoniũ quidem contrahere possunt, sed si contrahant, omnibus beneficijs Ecclesiasticis privantur, quia simul voluptatibus & carnalibus de-

ſiderijs, ac divinis & Eccleſiaſticis obſequijs vacare non valent, ait Pont. *in c. 3. De cler. Conjug.* & quod hæc privatio *ipſo Iure* inducatur etiam ante ſententiam Judicis, nec poſt contractum matrimonium tutâ conſcientiâ clericus contrahens poſſit amplius percipere fructus ſui beneficij, innumeris penè authoritatib9 probat Barb. *in Collect. ad c. 1. De cler. conjug. n. 2.* cui non reſiſtit, quòd pœnæ in conſcientiâ ante ſententiam Judicis ſaltem declaratoriam locum non habeant; nam reſponderi poteſt, quod ſupradicta privatio non proveniat propriè ex pœnâ, ſed magis ex *incompatibilitate* beneficij cum ſtatu matrimoniali, & ita ex interpretativa renunciatione beneficij â clerico per contractum matrimonij factâ. Eſt autem hîc notandum, quod de privatione beneficij dicitur, eſſe intelligendum ſi ipſum matrimonium actu contractum ſit; ſi verò ſponſalia tantùm de futuro cle-

ricus in minoribus contraxerit, necdùm suo beneficio renunciasse censebitur, quia necdùm statum incompatibilem actu suscepit. *Sanch. de matrim. lib. 7. disp. 46. n. 23.*

SECTIO IX.

DE LIGAMINE.

1. *Christiano non licet habere plures uxores.*
2. *Utrum qui de facto pendente primo matrimonio secundũ contraxit, mortua prima uxore possit secundam retinere?*
3. *Qualiter debeat probari mors conjugis, ut liceat transire ad secundas nuptias.*

1 CUm inter Christianos polygamia prohibita sit & non liceat habere plures uxores juxta illud *Matth. 19. quicunq; dimiserit uxorem suam & aliam duxerit, mœchatur, &c.*

ideò

ideò propter impedimentum *ligaminis* ſive *vinculi* invalidum eſt matrimonium poſterius, quamdiu aliquis priori *ligatus* eſt.

Quòd ſi quis de facto contraxerit 2
matrimonium vivente prima uxore, diſtinguendum erit, an mulier ſciverit virum legitimam habere uxorem, vel an ignoraverit? ſi ſcivit ab initio vel ex poſtfacto & inſuper paſſa eſt ſe cognoſci ab eo (ſecùs ſi cognita nunquam fuiſſet) tunc etiam poſt mortem primæ propter adulterium & fidem datam eſt impedimentum dirimens inter ipſos. ſi ignoravit ſecunda uxor vitam prioris toto tempore ante mortē ejus, tunc in poteſtate quidem ſecundæ uxoris deceptæ eſt ſeparari à viro putativo, eo quòd matrimonium mortua prima uxore non confirmetur, cum conſenſus in matrimonium propter impedimentum fuerit illegitim⁹, vir tamen ſi mala fide egit ratione promiſſionis & deceptionis compelli

potest ad contrahendum de novo cum deceptâ. de quibus omnibus videatur tex. & gloss. *in c.1. c.veniens. & c.fin. De eo, qui duxit, &c.*

3 Quæres an & quando possit alter ex conjugibus ad secundas nuptias transire, si nihil sciat vel audiat de vita alterius conjugis absentis? R. ut Conjux propter diuturnam absentiâ conjugis possit ad secundas nuptias transire requiri *certum nuncium* in *c. in præsentia. 19. De sponsal.* idque non esse accipiendum de uno teste, sed de denunciatione certa, cui in judicio fides haberi possit, *gloss. & DD. ibidem.* Interim tamen non erit necessè mortem conjugis absentis per testes omni exceptione majores probare, sed etiam vehementes præsumptiones admittentur, ut si fortè cum uno teste fama, senectus, diuturna emansio vel aliæ conjecturæ concurrant *tex. in.c. quoniam. §. porro. vers. si autem ubi gloss. in v. præsumatur. ut lite non contest.*

l. non

l. non omnes §. à barbaris. De re milit, Zoes. ad tit: Decret. De secundis nupt. n. 6. Quòd si aliquis de facto contraxit ante certum nuncium acceptum, quia valor matrimonij est in suspenso, petere debitum non potest propter periculum adulterij, reddere tamem tenetur, ne pars altera innocens, quæ in bona fide est & possessione matrimonij, jure suo ex contractu quæsito privetur. *c. Dominus, De secund. nupt.* quare optimâ consuetudine passim introductum est, ut, nisi evidenter constet de morte conjugis absentis, non liceat Parochis dare licentiam conjugi præsenti secundas nuptias contrahendi, sed concessio hujus licentiæ pertineat ad Consistorium Episcopale, cui incumbit attestationes de morte conjugis absentis, sufficientésne sint, examinare. & quia nonnunquam contingit attestationes per malitiam expracticari, id quoque alicubi receptum est, ut pro majori securi-

curitate volenti ad secundas nuptias transire juramentum â Judice Ecclesiastico deferatur, quòd nihil malitiosè egerit, & nec *sciat* nec *credat* vitam conjugis absentis.

SECTIO X.

DE PUBLICA HONESTATE.

1. *Quid sit publica honestas, & quousque dirimat matrimonium.*
2. *Reformatio Tridentini circa hoc impedimentum procedit tantùm in sponsalibus de futuro, non de præsenti.*
3. *Ex Sponsalibus conditionatis nonoritur publica honestas, nisi fuerit conditio, quæ non suspendit obligationem.*
4. *Dicitur declaratum â S. Congreg. quod sponsalibus mutuo consensu dissolutis non remaneat publica honestas.*

Ju-

IUstitia *publicæ honestatis*, est aliqua *quasi* affinitas, quæ ex conjunctione & affectione animorum oritur in sponsalibus de futuro & de præsenti: differt propterea à vera affinitate, quòd hæc non tantùm ex affectu sponsalitio, sed ex copula carnali oriatur. 1

De Jure antiquorum Canonum hoc impedimentum extendebatur usque ad quartum gradum, ita ut etiam dissolutis sponsalibus aliquis suæ sponsæ consanguineam intra quartum gradum ducere non potuerit. Sed hodiè constituit Concilium Trid. *s. 24. de ref. matr. c 3.* ut Justitiæ publicæ honestatis impedimentum *primum gradum* non excedat, & si sponsalia quacunque ratione valida non erunt, nullum oriatur impedimentum. Attamen Pius V. in sua Bulla. *ad Romanum, &c.* declaravit, hanc reformationem Trid. procedere tantùm in sponsalibus *de futuro*, non item sponsalibus *de præsenti*. unde etiam hodiè 2

si con-

ſi conjux ante conſumationem matrimonij moriatur, non poterit ſuperſtes conjux cum præmortui conjugis conſanguineis intra *quartum gradũ* contrahere. cùm enim ſponſalia *de præſenti* ſive matrimonium ratum publicè in facie Eccleſiæ, conſumatio autem occultè fiat, ſcandaloſum foret, ſiquis defunctæ uxoris conſanguineam uxorẽ duceret, quæ comuni hominum exiſtimatione affinis cenſetur. *Barb. in collect. ad. d. c. 3. Trid. n. 2. Nav. in Man. c. 22. n. 57.* Item ex ſponſalibus *de præſenti* hodie oritur *publica honeſtas* tametſi propter aliquod impedimentũ nulla ſint, modò ex parte intentionis ſive conſenſus defectus non ſit, tùm quòd publica honeſtas nõ naſcatur ex matrimonio qua tali, ſed ex matrimoniali affectu, qui etiam ſuppoſito impedimento ſubeſt: tum quòd ita fuerit conſtitutum de Jure antiquo *in c. un. De ſponſal. in 6.* idque circà ſponſalia *de præſenti* non fuiſſe mutatum Pius V.

in d.

in d. Bulla, *ad Romanum*, declaraverit. *Sanch. lib. 7. disp. 70 n. 5. Barb. in d. c. 3. Trid. n. 14.*

In Sponsalibus igitur *de futuro* tantùm locum habet supradicta Concilij Trid. constitutio, ut impedimentum istud ad primum gradum restrictum sit, & totaliter sublatum, si sponsalia invalida fuerint. Deinde ex sponsalibus conditionatis non oritur *publica honestas*, quin si sponsa v. g. 3
ante eventum conditionis mortua fuerit, ejus soror mater vel filia in uxorem duci possit. *c. un. §. ille verò. De sponsal. in 6.* Sed hoc DD. communiter accipiunt de Conditionibus veris, quæ suspendunt obligationem, quia eorum eventus pendet à futuro tempore, v. g. si parentes consenserint, &c. non autem de conditionibus præteriti vel præsentis temporis v. g. ducam te si mille florenos habeas in patrimonio, &c. neque etiam de conditionibus tacitis, quæ sua natura insunt

ſunt ſponſalibus, ut niſi deformeris, forniceris, &c. eo quòd hujuſmodi conditiones nō ſuſpendant obligationem, ſed tantum ex poſtfacto reſolvant. *l. conditiones 99., De condit. & demonſtr.* quòd tamen de conditionibus præteriti vel præſentis temporis dicitur, exinde naſci publicam honeſtatem, intelligendum eſt, ſi id quod in conditionem deductum eſt, reverà ſubſuerit, ſin autem non ſubſuerit, v.g. ſponſa non habuerit mille florenos, tunc quia ſtatim ab initio nulla fuerunt ſponſalia, nullum quoque ortum fuit impedimentum. *c. non præſtat. 52. De R. I. in 6. vid. Sanch. lib. 7. diſp. 69.*

4 Quid autem dicendum, ſi ſponſalia *de futuro* mutuo conſſenſu diſoluta fuerint, an maneat impedimentum *Publicæ honeſtatis*, non ſatis conveniunt DD. & affirmativa ex eo evinci videtur, quòd talia ſponſalia non fuerint nulla ab initio, ſed tantùm ex poſt-

postfacto annullata, quæ annullatio non tollit impedimentum sicut paulò ante de defectu tacitæ conditionis dictum. Favore tamen Matrimonij â Sac. Congreg. declaratum esse, quòd in proposito casu cesset impedimentum *publicæ honestatis*, quasi propter mutuum dissensum retrò annullentur sponsalia ex Farinac. refert Gutierez *De matrim cap. 103. n. 11. Barb. De offic. Episc. p. 3. alleg. 51. n. 188. Rebell. & Armendar apud. eundem citati.*

SECTIO. XI.

DE AFFINITATE.

A*Ffinitas* secundùm Ethymologiã nominis dicitur, quòd aliquis *ad fines* seu cognationẽ alterius accedat. *l. non facile. De gradib. Affi.* & describi poest, quòd sit conjunctio & proximitas duarum vel plurium personarũ

ex

ex copula proveniens. Circà hoc impedimentum aliquot regulæ breviter notandæ sunt.

I. Affinitas oritur tantùm ex copula completa, quæ de se apta est ad generandum licet generatio secuta non sit. ex copula autem attentata, sicut & Spadonum non oritur affinitas. nec obstat *c. juvenis De sponsal. & c. fraternitati. De eo qui cognovit consangu.* ubi videtur asseri, quòd etiam ex copula imperfectâ oriatur impedimentum: nam illi textus debent intelligi de impedimento *publicæ honestatis*, nō autem *affinitatis; vid. Sanch. lib. 7. disp. 64. n. 7. & seqq.*

II. Affinitas non tantùm oritur ex copulâ matrimoniali, sed etiam fornicaria & quavis illicitâ. *c. discretionem. & passim De eo qui cognovit consang.*

III. Omnes consanguinei uxoris sunt affines marito, & omnes consanguinei mariti sunt affines uxori idem dicen-

dicendum in copula illicita, quòd consanguinei mulieris cognitæ fiant affines viro cognoscenti, & econversò.

IV. Inter ipsos consanguineos utriusque partis nulla contrahitur affinitas. undè duo fratres possunt ducere ex altera parte duas sorores, Item Pater & filius, matrem & filiam vel sororem, &c. *c. quod super. De consang. & Affin.*

V. Consanguinei uxoris in illo gradu sunt affines marito, in quo sunt consanguinei uxoris, & econtrà: ita soror uxoris est marito affinis in primo gradu affinitatis, quia uxori est in primo gradu consanguinea.

VI. Affinitas orta ex matrimonio dirimit matrimonium usque *ad quartum gradum inclusivè*; orta autem ex copula illicita tantùm usque *ad secundum inclusivè. Trid. s. 24. de ref. matr. c. 4.* quod posterius ita statuit Trid quia aliàs periculum foret, ne plurima matrimonia nulliter contrahe-

herentur, cum affinitas ex copula illicita plerumque occulta sit.

VII. Olim impedimentum extendebatur usq; ad secundum & tertium genus affinitatis *c. 3. c. fin. 35. q. 3* hodiè verò ad primum genus affinitatis restrictum est *c. non debet 8. De Consang. & affin.* dicebatur autem in secundo genere affinitatis mihi conjunctus, qui est affinis mei affini, vel qui cum affine mea copulam habuit: & in tertio genere affinitatis, qui est affinis illius, qui mihi in secundo genere affinitatis conjunctus est.

SECTIO. IX.

DE IMPOTENTIA.

1. *Impotentia ut dirimat matrimonium debet præcessisse contractum & esse perpetua.*
2. *Non redintegratur matrimonium si impotentia ex postfacto cesset ut extraordinariâ*

3. *Eunuchi carentes utrogʒ teste non possunt contrahere matrimonium.*
4. *Senibus non est prohibendum matrimonium.*
5. *Valet matrimonium in articulo mortis contractum ad legitimandam prolem.*
6. *Impotentes an debeant inviti separari.*

VT *impotentia* nullum reddat matrimonium, non sufficit, si quandocunque in matrimonium jam contractum de novo incidat v.g. propter infirmitatem aut maleficium superveniens, sed requiritur, ut matrimonium præcesserit. *c. hi qui. 32. q. 7. & c. si uxorem. 32. q. 5.* nam obligatio ab initio rectè contracta, non tollitur, licet executio ex postfacto deficiat *c. 7. De divort.* Præterea *impotentia* ut causet impossibilitatem mutuæ traditionis corporum & consequenter nullitatem matrimonij, *perpetua* esse debet. Quòd si statim ab initio constet 1

de ista *perpetuitate*, statim divortium concedendum est: sin autem dubitetur, anne successu temporis tolli possit, ad probationem *triennium* conceditur. & ideò si Conjuges naturaliter vel ex maleficio impotentes reddit per triennium cohabitârint, & interea precibus, jejunijs, exorcismis alijsque licitis medijs pro avertendo maleficio usi sint, nullus autem effectus secutus fuerit, ex tunc tanquàm perpetuo impedimento loborantes separari possunt. *c. si sortiarias. 33 q. 1. c fraternitatis. & c. laudabilem. De frigid. & malefic.*

2 Quid autem, si primum matrimonium propter impotentiam separetur & in secundo matrimonio cum alio vel alia contracto impotentia per artem magicam, vel miraculum, vel quocumque alio modo præter naturalem & licitum cesset, nunquid primum matrimonium redintegrari debet? Rz. negativè, quia impedimentum ex

ex ſua natura fuit perpetuum, per accidens autem eſt, quòd propter remedium aliquod præternaturale ceſsârit. idem dicendum tametſi impotentia tantùm reſpectiva (ſcil. reſpectu huius viri) per uſum ſecundi, cui mulier copulata eſt, ſublata fuiſſet: quia abſolutè verum fuit, reſpectu primi fuiſſe impotentiam perpetuam & Matrimonium nulliter contractum. neq; contrarium evincitur ex *c. fraternitatis De frig. & maleſic.* cum ibi ſupponatur, quòd primus vir non adhibuerit omnem diligentiam & modum tollendi impotentiam, ſicut colligitur ex illis verbis: *cum pateat ex poſtfacto, quòd ipſa cognoſcibilis erat, &c.*

De Spadonibus & Eunuchis carentibus utroque teſte (ſecùs ſi altero tantùm carerent) extat Motus proprius Sixti V. quem refert Sanch. *lib. 7. diſp. 92. n. 17.* quòd matrimonium contrahere non poſſint, licet valeant uti copula, ſed propter utriuſque teſtis ex- 3

ſectionem nequeant ſeminare. Alia
4 verò eſt ratio de Senibus, quorum co-
pula ex ſua natura propter emiſſionem
ſeminis apta eſt ad generandum, &
tantùm per accidens inepta. Vnde
niſi ſenex aliquis ita exhauſtus & mor-
bis vel quacunque de cauſa ita debi-
litatus ſit, ut nulla ſpes eſſe poſſit, quòd
vel arte medicâ vel ullâ ratione ha-
bilitari valeat ad uſum matrimonij,
non eſt ipſi matrimonium prohiben-
dum, ſicut ex communi Eccleſiæ con-
ſuetudine notum eſt, & docent citati
apud Barb. *inc. 2. De frigid. & ma-*
5 *leſi. n. 6.* Imò ſpecialiter propter fa-
vorem legitimationis ex receptâ om-
nium penè DD. ſententiâ admitten-
dum & validum eſt matrimonium
quod ſenex decrepitus, vel alius quil-
cunque in articulo etiam mortis con-
ſtitutus contrahit cum illâ, ex quâ pri-
liberos illegitimos ſuſcepit, in ordine
ad eorundem liberorum legitimatio-
nem, eò quòd in tali matrimonio ſpe-
& bo

& bonum prolis, eo saltem respectu subsit, quòd proles antea illegitima, & quasi pro non prole habita, jam legitimetur, & quoad omnes effectus Juris vera proles efficiatur. *vid. Basil. Pont. De matrim. lib. 11. c. 1. §. 1. Cov. de spons. p. 2. c. 8. § 2. n. 10. Sarmient. lib. 1. select. c. 6. Barb. in c. tanta. Qui filij sint legitimi. n. 8.*

Demùm hîc adnotandum est, quòd impotentes, qui defacto sive scienter sive ignoranter contraxerunt, si velint ultrò ex utraque parte cohabitare, non debeant inviti separari, nam tunc locum habet, quod dicit Pontif. *in c. consultationi. De frigid. ut eam, quam quis non potest habere uxorem habeat ut sororem* quòd si autem petant ex postfacto aliquandò ab invicem separari, debebunt separari, nam talis contractus cum propter impedimentum non sit matrimonialis, ad summum valet in vim *Societatis*; constat verò societatem in perpetuum propter rixa- 6

rum periculum contrahi non posse 3.
l si convenerit. 14. ff. Pro socio. Ipsi
quoque voluntaria cohabitatio non
aliter permittenda est, quàm si nul-
lum periculum subsit actus imperfe- 4.
ctos & illicitos exercendi, propterea
nec in eodem lecto impotentes con- 5.
dormire debent, ut Statuit Sixtus V.
in supradicto suo Motu proprio de
Eunuchorum matrimonijs cujus ver- 6.
ba formalia circà hoc punctum refert 7.
Sanch. *lib. 7. disp. 97. n. 5.*

8.

§. III.

DE SOLENNITATE Matrimonij. 9.

1. *Solennitates quæ sint extrinsecæ ma-*
trimonij.
2. *Extra necessitatem non debent fieri*
denunciationes tribus festis sibi im- 10
mediatè succedentibus.

11

3. S

3. *Si contrahentes sint ex diversis Parochijs, in utraq; debent fieri denũciationes, & ibi quando denunciationes possint omitti.*
4. *Non requiritur de Iure ut copulatio fiat in Ecclesia materiali.*
5. *Ad substantiam matrimonij requiritur hodie, ut contrahatur coram Parocho & testibus.*
6. *Quis dicatur proprius Parochus.*
7. *Quid observandum circa matrimonia vagorum hominum.*
8. *Parochus etiam extra suam Parochiam potest assistere matrimonio suorum Parochianorum.*
9. *Parochus non potest dare licentiam assistendi matrimonio nisi sacerdoti, ipse tamen parochus non tenetur esse sacerdos: & ibi etiam quid requiratur, ut alius quàm Parochus validè assistat.*
10. *Etiam ordinarius potest dare licentiam assistendi matrimonio.*
11. *Ad matrimonium non requiruntur*

testes omni exceptione majores.

112. *Nulla necessitas vel ignorantia excusat ab observatione solennitatis substantialis.*

113. *Qualiter matrimonia nulla reconvalidari debeant.*

114. *Liberi nati ex matrimonio nullo, dummodo unus ex conjugibus fuerit in bona fide, sunt legitimi.*

115. *Confessarius an teneatur monere habentes impedimentum, si id ignorent.*

116 *Episcopus potest dispensare, post matrimonium contractum in impedimentis occultis.*

II SOlennitas Matrimonij alia est extrinseca, alia intrinseca, seu substantialis. Solennitas extrinseca est, ut desponsati ante actualem contractum matrimonij â *proprio suo Parocho* tribus continuis festivis diebus in Ecclesia publicè denuntientur; ut Parochus mutuo desponsatorum consensu interrogato dicat, *ego vos conjungo in nomine*

nomine Patris, & Filij, & Spiritûs Sancti: Item ut ante ſacerdotalem benedictionem in templo ſuſcipiendam conjuges in eadem domo non cohabitent *Trid. ſ. 24. de ref. matr. c. 1.*

Dixi, deſponſatos debere ante ſolennizationem matrimonij à proprio ſuo Parocho *tribus continuis feſtivis diebus* in Eccleſia publicè denunciari, ut audientes impedimentum matrimonij, ſi quod ſciant, inter contrahentes eſſe, maturè inſinuent. *Trid. d. ſ. 24. c. 1.* vtrum autem nomine illorum dierum feſtitvorum continuorum, de quibus concilium loquitur, etiam intelligantur dies ſibi immediatè ſuccedentes pro utraque parte DD. allegat Barb. in eodem c. 1. n. 19. Exiſtimo menti legis eſſe conformius, ut textus Concilij intelligatur de talibus feſtis, quæ ſibi per intervallum aliquot dierum ferialium ſuccedunt, ut denuntiationes tantò meliùs ad

omnium præcipuè aliquod interesse habentium cognitionem deveniant. Interim tamen si justa aliqua causa accelerandi matrimonij subesset neque facilis esset recursus ad Episcopum, etiam tribus immediatè succedentibus festis denuntiationes per Parochum propriâ authoritate fieri possent. *juxt. Basil. Pont. de Matrim. c. 26. §. 4. in pr.*

3 Si contrahentes sint ex diversis Parochijs, in utraque sponsi & sponsæ Parochia denuntiationes faciendas esse comunis est conclusio. *Zerola in praxi Episc. p. 1. v. Matrimonium. §. 5 Pont. d. §. 4. & aly passim.* Ille quoque usus, qui in quibusdam locis observatur, nō est irrationabilis, si unus ex contrahentibus modico tempore v. g. per paucas septimanas sit in Parochia, & priùs per longius tempus fuerit commoratus in alia, ut tunc etiam in illâ Parochiâ, in quâ prius habitavit, denuntiationes fiant, quia frequenter con-

contingit, quod præsertim famuli & similes in fraudem priorum sponsalium ad aliam Parochiam transeant.

Cœterum quamvis denuntiationes non sint de substantia matrimonij, nihilominus â Parocho sine gravi peccato omitti non possunt, Quòd si verò periculum sit ne malitiosè â quibusdam æmulis matrimonium impediatur, tunc ex licentia Ordinarij posse denuntiationes omitti, vel saltem primùm post contractum matrimonium ante consummationem fieri tex. est in *d. c. 1. Trid.* Quandoque tamen etiam per ipsum parochum sine licentia Ordinarij denuntiationes post contractum matrimonium differri possunt, si nimirum urgens aliqua necessitas premat, ut non sit occasio commodè adeundi Ordinarium, veluti si concubinarius in periculo mortis constitutus pro legitimatione liberorum, velit concubinam in uxorem ducere, vel si sponsus sit in procinctu discedendi

dendi ad longius tempus, & interim periculum sit, ne in præjudicium sponsæ cum alia matrimonium contrahat, *Nav. Cons. 1. De cland. desp. Sanch. d. l. 3. disp. 10. n. 25. Pont. d. § 4.*

4 Sed nunquid etiam ad solennitatem extrinsecam matrimonij pertinebit, ut contractus matrimonij non alibi, quàm in Ecclesia fiat, cum expressè Concili. jubeat in facie Ecclesiæ contrahi? ℟. ex communi DD. sententia per illa verba, per quæ præcipitur in Trid ut copulatio fiat in facie Ecclesiæ, non induci obligationem, ut copulatio fiat in ipsa Ecclesia materiali, neque id posse ab Ordinario vel Parocho invitis Parochianis injungi, sed sufficienter dici in facie Ecclesiæ contractum Matrimonium, si etiam in domo privatâ coram Parocho, & testibus contrahatur. *ita Sanch. d. l. 3. disp. 15. & plures cc. à Barb. in d. c. 1. Trid. n. 35.* Verùm ego credo, cùm maximè rationabile ac decens sit, ut con-

contractus matrimonialis, utpotè Sacramentalis, in Ecclesiâ ipsâ celebretur, consuetudine ita passim declaratum vel introductum esse, ut Parochus non teneatur Matrimonio privatorũ hominum extra Ecclesiam in privatis domibus sine rationabili causa assistere.

Solennitas intrinseca, seu substantialis matrimonij (sine quà nullum & invalidum reputari debet) est, ut contrahatur *coram proprio Parocho & duobus vel tribus testibus. Trid. d. c. 1.* circa quam solennitatem 5

Not. est 1. Proprium Parochum non tantùm dici illum, in cujus Parochia contrahentes domicilium firmũ, & perpetuum, sed etiam ubi per majorem anni partem actu habitârunt, vel etiam habitare intendunt *Pontius de matrim. l. 5. c. 13. §. 1. n. 4. & seqq.* undè famuli Dominorum vel rusticorum si in aliâ Parochiâ oriundi sint, & in alia serviant debent copulari 6

pulari coram Parocho loci in quo ſerviunt : eo quòd ſolum Parochum originis, qui non ſit ſimul Parochus habitationis (ſaltem reſpectu unius ex deſponſatis) non cenſeri proprium Parochum ad aſſiſtendum matrimonio cum communi doceat Sanch. *de Matrim. lib. 3. c. 23. n. 7. Pont. d. l. n. 2.*

Not 2. quandò contrahentes ſunt ex diverſis Parochijs, tunc Parochum ſponſi hoc ipſo etiam cenſeri propriũ Parochum ſponſæ, ſi in loco ubi ſponſus habitat, Matrimonium contrahatur, & vice versâ Parochum ſponſæ futurum proprium ſponſi, ſi in Parochia habitationis ſponſæ contrahatur matrimonium. *Sanch. d. l. 3. diſp. 19.*

Not. 3. homines vagos, qui nullibi habent domicilium, coram quocunque Parocho copulari poſſe, quia non eſt major ratio reſpectu unius Parochi quàm alterius. Attamen circa iſtos vagos ſpecialis eſt prohibitio in

7

Trid.

Trid ſ. 24. de ref. mat c. 7. ne Parochi eos copulent, niſi diligenti inquiſitione ſuper iſtorum ſtatu præmiſsâ, & habitâ licentiâ ab Ordinario, quia frequenter contingit, quod ejuſmodi vagi primâ uxore adhuc vivente relictâ alias diverſis in locis ſuperinducant.

Sed quid ſi Parochus nec diligenti inquiſitione præmiſsâ, nec licentiâ ab Ordinario habitâ vagos homines copulaverit, anne matrimonium valebit? ℟. affirmativè, quia Conc. *in d. c. 7.* non habet decretum irritans, aliundè autem nota eſt regula, quòd multa fieri prohibeantur, quæ tamen cùm facta fuerint, obtinent roboris firmitatem. *c. ad Apoſtolicam. 16. de Regular.* quæ regula maximè locum habet in causâ favorabili, ſicut eſt matrimonium, utpote pro cujus valore in dubio generaliter reſpondendum eſt. *c. fin. de ſent. & re Iud. vide Sanch. de matrim. L. 3. diſp. 23. & ſeqq. Guthierez*

thierez de Matrim. c. 55. n. 15. & c. 61. n. 7.

8 Not. 4. quòd Parochus etiam extra ſuam Parochiam matrimonio ſuorum Parochianorum valjdè interſit, & aſſiſtat, cùm ſit actus voluntariæ Jurisdictionis, qui extra territoriũ quóque rectè exercetur. *jux. l. 2. ff. de offic. Proconſ.*

9 Not. 5. ut alius quam Parochus matrimonio validè aſſiſtat, ſufficere, ſi ei in genere licentia detur omnia peragendi, quæ ad Parochiam & curam animarum ſpectant. debebit tamen hæc licentia eſſe expreſſa, & antecedere contractum Matrimonialem, undè non ſufficere præſumptam, neq; ratihabitionem ex poſtfacto accedentem tenent DD. magno numero allegati apud Barb. *in collect. ad d. c. 1. ſ. 24. de ref. mat. n. 108. & ſeq* & à S. Congreg. Card. ita reſolutum refert Menoch. *de arbitr. caſu 453. n. 13.* ratio eſſe poteſt, quòd cùm præſentia

vel

vel licentia Parochi sit de formâ contrahendi Matrimonij, per æquipollens vel aliquid quod est præsumptivè tale, ut ratihabitionem, suppleri non possit *arg. tex. in § tutor autem. Instit de author. tut.* Præterea etiam is cui hæc licentia datur, sacerdos esse debet, quia id satis clarè requiritur. *in d. c. 1. Trid.* undè non posse Parochum vel Ordinarium concedere licentiam assistendi matrimonio alicui clerico non sacerdoti, docent Nav. *Cons. 6. de cland dispons. Pont. de impedim. matrim. c. 26 § 6. vers. is autem.* neque tamen propterà etiam ipse Parochus qui matrimonio assistit sacerdos sit, necesse est, quia Conciliũ illam qualitatem sacerdotij in Parocho non exprimit, sed tantùm sub alternatione dicit, ut matrimonium contrahatur coram Parocho, *vel alio sacerdote*, in alternativis autem sufficit alterum impleri. *jux. c. in alternativis. de R. I. in. 6.* nec obstat,

quòd

quòd alia Sacramenta nònnisi Sacerdos administrare debeat, quia in matrimonio Parochus nō requiritur tanquàm minister, sed potius tanquàm testis. undè etiam si excommunicatus, prohibitus, invitus, assistat, validè assistet. *vide. Sanch. de matrim. lib. 3. disp. 20. & seqq.*

10 Not. 6. licentiam assistendi matrimonio non tantùm â Parocho sed etiam ab Ordinario concedi posse, sicut *in d. c. 1. Trid.* habetur. Ordinarij autem nomine præter Episcopum Capitulum sede vacante, Vicarium Episcopi generalem, Legatum de latere in provincia suæ legationis, Abbates Ecclesiarum nulli Episcopo subjectarum venire tradunt cc. apud Barb. *d. l. n. 98. & seqq.*

11 Not. 7. ad matrimonium non requiri testes omni exceptione majores, sed quoscunque sufficere rationis compores, qui scilicet satis intelligunt rem de qua agitur, sive deindè sint domestici

ſtici, infæmes, feminæ, conſanguinei, &c. *Barb. d. l. n. 121.* neque enim Trid. ſimiles teſtes excludit, maximo alioquin periculo nullitatis expoſuiſſet contractum matrimonij, cum experientiâ conſtet quàm facilè exceptiones contra teſtes reperiantur, ſicut propterea quamplurima teſtamenta, quòd in ijs teſtes omni exceptione majores requirantur, ſuis viribus deſtituuntur.

Not. 8. quod nulla neceſſitas vel 12
ignorantia excuſet ab obſervatione legis, quæ formam actui præſcribit, quatenus eâ formâ non ſervatâ actus valere poſſit; quare licet aliquis imediatè ante repentinum diſceſſum contracturus Parochum vel teſtes habere non poſſet, vel homo rudis invincibiliter ignoraret requiri, nihilominus ſine eorũ preſentia invalidè contraheret. *tex in Trid. ſ. 24 de ref. matrim. c. 2. in princ. Sanch. d. lib. 3. diſp. 17.*

Not. 9. quandò matrimonium 13
cele-

celebratum coram Parocho & testibus fuit nullum occultè ob defectum consensus occultum, vel ob impedimentum occultum, si ille defectus cesset (v. g. si in affinitate occultâ dispensatio clàm obtenta sit, uxor legitima, de quâ nihil sciebatur mortua, &c.) non esse necessarium ut ad revalidationem illius iterum coram Parocho & testibus celebretur, durat enim hoc casu effectus solennitatũ primitus adhibitarum, quia matrimonium tale occultè reconvalidatum facilè negari non potest, cum propter solennitates antecedentes constet, quod publicè contractum fuerit,, & econtra ex supposito non constet de impedimento, notanter dixi, si defectus matrimonij *occultus* fuerit. sin autem Juridicè saltem per duos testes probari posset, ad reconvalidationem matrimonij solennitates omninò reiterari deberent, quia subesset periculum, ne quandoque Matrimonium ab alterutrâ parte

negare.

negaretur, si nullitas in primo contractu propter impedimentum probari posset, & consensus novus esset omninò occultus. *Nav. in Man. c. 22. c. 7.* sed quid si una pars tantùm conscia nullitatis fuerit, quo modo convalescere poterit matrimonium absq; eo quod altera pars de nullitate certior fiat? posset enim talis certioratio nonnunquā causa scandali, infamiæ, & multarū litium esse, liberis quæstio legitimitatis moveri, saltem à multis imperitis, licet reverà propter bonam 14
fidem alterutrius conjugis etiam matrimonio separato legitimi sint. *c. perlatum & c. ex tenore pen. Qui filij sint legitimi.* Distinguendum erit, an matrimonium sit invalidum ex defectu consensus in alterutro conjugū, vel an sit invalidum propter occultum impedimentum. priori casu convalescet matrimonium, si ille qui v. g. fictè tantùm consensit, de novo consentiat absque eo quòd alteri nullitatem

tem matrimonij indicet, vel novum ejusdem consensum requirat, neque enim ad matrimonium necessarius est simultaneus formaliter consensus viri & fæminæ, sed satis est, quòd is qui prior tempore consensit, in suâ voluntate perduret & consensum non revocaverit. Volunt tamen DD. ut iste novus consensus non sit merè internus, sed per signum aliquod extrinsecum, saltem per copulam exprimatur, quia ad essentiam Sacramenti requiritur signum visibile. & quamvis prius jam adfuerit signum, scilicet contractus extrinsecus matrimonij, & tantùm defuerit consensus, est tamen illud signum hic & nunc insufficiens, quia fuit solummodo putativum & falsum.

Altero casu si subfuerit occultum impedimentum dirimens, idque forsan ob dispensationem clam impetratam, vel alio modo cessarit, requiritur quidem novus utriusque consensus

ſus quia prior propter tale impedimentum erat invalidus, interim tamen ſi alicujus ſcandali vel alterius mali periculum ſubſit, nō eſt neceſſe, ut pars altera ignara nullitatis prius de eâ certioretur, & ita novus ipſius conſenſus petatur, ſed ſufficiet, ſi diſſimulatâ nullitate interrogationi de præſenti factæ conſentiat. v.g. ſi non eſſes mea uxor velles fieri & defacto vis eſſe mea uxor, &c. *vid. Sanch. lib. 2. diſp. 26. & ſeqq.*

Not. eſt 10. quòd Parochus vel Confeſſarius non teneatur monere, 15
conjuges quos ex confeſſione vel aliundè intelligit habere impedimentum dirimens *occultum*, ſi videdeat ipſos in bonâ fide eſſe, & illud impedimentum *invincibiliter* ignorare, & ècontra ex admonitione perplexitas, ſcandalum, propter diſpenſationem diu expectandam periculum incontinentiæ, mutui diſſenſus, ac aliarum incommoditatum foret.

c. quia

c. quia circà, De consang. & affin. Gutier. de matrim. cap. 48. Sanch. lib. 2. disp. 38.

16 Not. est ultimò, quòd Parochus, si intelligat aliquos habere impedimentum occultum, non debeat ipsos ad S. Pontificem dirigere pro dispensatione petenda, sed potius ipse debeat per litteras aut alio modo pro ijs dispensationem apud Episcopum impetrare. nam quandò matrimonium semel bonâ fide & præmissis denuntiationibus contractum, ac impedimentum jure humano introductum occultum est, ac tale, in quo solet dispensatio concedi, tunc urgente necessitate etiam Episcopus dispensare potest; & dicitur urgere necessitas, si locus sit Româ valde distans, essetque magnum incontinentiæ periculum tamdiu expectare, vel si propter inopiam aut aliud impedimentum non esset commodus ad Papam accessus, *Nav. in man. c. 22. n. 85. Laym. in Theol.*

mo

mor. lib. 1. tract. 4. c. 22. n. 4. dicitur quoque impedimentum *occultum* in ordine ad dispensationem Episcopo competentem, non tantùm quod probari nullo modo potest, sed & illud, quod non est notorium & divulgatũ, licet possit probari per aliquos testes. quemadmodùm de dispensationibus, quas Episcopus in irregularitatibus ex *delicto occulto* provenientibus facere potest, tradunt magno numero allegati apud Barb. *in Collect. ad cap. 6. Trid. s. 24. de ref. n. 16.*

Quamvis autem DD. communiter sentiant Episcopum non aliter dispensare posse, quàm si non tantùm ad Papam, sed nec ad Nuncium vel Legatum eius facilis accessus habeatur; nihilomnius si Episcopus ipse sit Legatus *natus* (sicut Celsissimus noster Salisburgensis) puto non esse alterius Legati quoad propositum considerationem faciendam, quia circà dispensationem in casu necessitatis dandam

omnium Legatorum æqualem esse potestatem ait Sanch. *lib. 8. disp. 6. n. 16.* ratio fortassis illa assignari potest, quòd dispensatio tali casu non competat Legato vi sui officij & ex speciali Privilegio (sicut multa Privilegia sunt concessa Legatis *de Latere* quæ alijs Legatis sunt denegata. *c. volentes & c. pen. De offic. Legati. c. 1. Eod. in 6.*) sed potiùs ex interpretatâ mente Pontificis, qui verosimiliter mavult in casu necessitatis contra Canones dispensare Legatum, qui ipsius Personam repræsentat, quam Episcopum & cùm æque Legatus *Natus* repræsentet Personam Papæ, ejusque vices gerere censeatur, *per tex. notab. in c. 1. De offic. Leg.* meritò non est ipsi hac in parte alius Legatus præferendus".

PARS III.

DE JURIBUS PAROchialibus.

CAPUT I.

DE DECIMIS.

§. I.

Quid sint, cui, & quomodo solvantur Decimæ.

1. *Quid & quotuplices sint decimæ.*
2. *Decimæ quatenùs sint Iuris divini.*
3. *Pro decimis Parochus habet intentionem fundatam in Iure.*
4. *Declaratio c. 2 de restit. spol.*
5. *Monasterium circà Parochiam sibi incorporatam censetur loco Parochi.*
6. *Cui Parocho solvendæ sint decimæ.*
7. *Quid sint & cui debeantur decimæ novalium.*

8. *Licij habentes Ius decimandi ex Privilegio vel infeudatione non possunt exigere decimas novalium.*

9. *Idem de Religiosis qui Ius decimandi â laicis acceperunt.*

10. *Resolvitur quæstio, an Ecclesiastici habentes Ius decimandi ex Privilegio possint petere decimas novalium.*

11. *Præscribens Ius decimandi regulariter non potest petere decimas novalium.*

12. *Fallit in certis casibus.*

13. *Parochus potest prohibere, ne decimæ separentur se vel suo nuncio absente.*

14. *An in solutione decimarum admittenda sit impensarum deductio.*

15. *De Iure decimæ sumptibus Parochianorum deferendæ sunt in horrea Parochorum, valet tamen consuetudo contraria.*

16. *Decimæ non solutæ an sequantur possessorem prædij.*

17. *Qualis actio competat contra tertium possessorem.*

Dec

DEcimæ ſunt pars decima fructuũ tam terræ, quàm aliarum rerum Deo in recognitionem univerſalis dominij debita & ipſius miniſtris perſolvenda. Sunt autem decimæ aliæ *prædiales*, quæ ex fructibus prædiorum debentur, ut de vino, frumento, oleo, pomis, fœno, & ſimilibus. Aliæ *perſonales*, quæ debentur ex lucro humanâ potiſſimũ induſtriâ quæſito, ut ex mercaturâ, militiâ, ſtipendijs, alijſque negotiationibus & obventionibus. tertiũ quoque genus decimarum nonnulli conſtituunt, quas *mixtas*, *appellant* eò quòd partim quantùm ad productionẽ naturæ de prædialibus, partim quantùm ad accedentem induſtriam de *perſonalibus* participent, & huiuſmodi cenſent eſſe *decimas animalium*, ſeu ex fructu pecorum perceptas ut lanæ, lactis, ovorum, &c. Sed magis placet, iſtas decimas animalium ad *prædiales* referre, tum quòd in Jure tantum duo genera decimarum ſcilicet *prædialium*

& *personalium* exprimantur *c. ad Apostolicæ 20. h. t.* tum quòd plus in illis natura, quàm industria operetur etiam in frumento & vino magna hominum industria accedere debet & tamen nemo dixerit, decimas frumenti & vini personales esse.

Originem habere decimas ex Jure divino nullus ambigit, (si de *prædialibus* loquamur, secùs de *Personalibus*, ut infra in quæst. 7. dicetur) ut videre est *Levit. 24. Num. 18. & Deut. 14.* An verò etiamnum hodie in novo testamento Juris divini sint; sicut asseritur *in c. Parochianos. 14. & c. tuam l. bis 37. h. t.* inter antiquiores præsertim DD. gravis fuit concertatio, à quâ illa quæstio principaliter dependet, an decimæ per consuetudinem, Privilegium, vel Præscriptionē parochorum ferri possint. Sed omissis quæ hinc pro & contra passim adducuntur, hodiè magis receptum est, decimas eatenùs esse Juris divini, in quan-

tum

tum deſerviunt pro neceſſariâ ſuſtentatione miniſtrorum Eccleſiæ, quia teſte ſcripturâ, *dignus eſt operarius cibo ſuo Matth. 10.* & Apoſtolus 1. *Cor. 9.* dicit: *Dominus ordinavit, ut qui Evangelium annuntiant de Evuangelio vivant, & qui Altari deſerviunt de Altari vivant.* Vnde hoc reſpectu nec privilegio, nec conſuetudine tolli poſſe, infra dicetur. Cæterùm autem quòd præci è decima & non major vel minor pars dari debeat, cenſeo unam eſſe de Legibus Cæremonialibus & Judicialibus, quæ per Legislatorem hominem, in novo Teſtamento acceptatæ obligant tantùm ex Jure humano *arg. c. un. De Purif. poſt part. vid. Azor. Inſtit. mor. p. 1. lib. 7. c. 23.*

3 Decimæ Parocho propter Spirituale miniſterium perſolvendæ ſunt, & ita quidem ad eum ſpectare cenſentur, ut ſi cum Monaſterio, Clerico vel Laico, ſeu quocunque qui Parochus non eſt, ſuper Decimis litiget, non coga-

tur Jus ſuum probare, quia fundatam intentionem habet in Jure, ex quo præſumitur, quod decimæ ad ipſum pertineant, niſi Adverſarij contrarium oſtendant. *c. cum contingat. & c. cum*
4 *in tua h.t.* imò quamvis aliàs ſpoliatus ante omnia reſtituendus, ſpoliatus tamen à Parocho ſuper decimis non reſtituitur, niſi plenè de Jure ſuo docuerit. *c. 2. de reſtit. ſpol. in 6.* quod tamen intelligo procedere in circumſtantijs caſus *in. d. c. 2.* propoſiti, ſi nimirum ſpoliatus *aliquamdiu*, ideſt, modico tempore fuerit in poſſeſſione, & ita non tantùm contrà illius Jus decimandi ſed etiam contra poſſeſſionem præſumatur. *arg. c. 3. de cauſa*
5 *poſſ. & prop.* Quod ſi Parochia ſit Monaſterio incorporata, tunc quantùm ad decimas Monaſterium cenſebitur loco Parochi, & tam contra Parochianos, quàm etiam contrà Epiſcopum & Vicarium curam exercentem fundatam intentionem habebit.

decu.

decis. Rot. apud Tambur. de Iur. Abb. tom. 3. Decis. 102.

Quæri: autem 1. Cui Parocho solvendæ sint Decimæ si quis in una Parochia Sacramenta percipiat, in altera sua prædia sita habeat? 6

Hæc quæstio deciditur *in c. ad Apostolicæ. 20. h. t.* ubi Pont. respondet Decimas personales solvendas esse Parocho Sacramenta ministranti, quantùm ad prædiales verò attendendam esse locorum consuetudinem. Quid autem si nulla constans consuetudo probari valeat, & propterea ad terminos Juris communis recurratur? R. de Jure esse probabilius, quòd Decimæ prædiales illi Parocho, intra cujus Parochiam prædia sita sunt, persolvi debeant, ne Parochiæ limites confundantur, & plurimæ lites subnascantur. *c. cum sint homines. 18. eod. tit.*

Quær. 2. cui debeantur Decimæ Novalium? 7

7 Supponendum inprimis Novale aliquandò sumi *propriè*, aliquando *impropriè*: *propriè* dicitur locus prius omninò sterilis ad culturam redactus v. g. si ex sylva extirpata, vel palude siccatâ agri fiant; *impropriè* autem si in locum ante cultum novi fructus inserantur v. g. si ex vinea aut prato fiat ager vel econtrà. his præmissis 1. si Novalia intra fines alicujus Parochiæ exurgant, Decimæ eorum debentur illi Parochiæ; si verò in loco nullius Parochiæ fiant. v. g. si sylva, quæ inter duas Parochias jacens pro utriusq; termino fuit assignata, ad culturam redigatur, Decimæ horum Novalium debentur Episcopo, quia ipse est Parochus loci qui proprium Parochum non habet. *c. quoniam 13. h. t.* Sed

Quæritur 3. an etiam Parocho debeantur Decimæ Novalium si alius intra fines suæ Parochiæ Jus decimandi habeat ex privilegio vel infeudatione? In hac quæstione duo quasi extra con-

controversiam sunt. 1. quòd Privi- 8
legium vel infeudatio aut emphyteu-
sis de Decimis concessa *Laicis* non ex-
tendatur ad Novalia, quia talis con-
cessio tùm propter personam Laici
non implentis spirituale ministerium,
ob quod dantur Decimæ, tùm propter
præjudicium Parochialium Ecclesia-
rum, od osum & restringendum est.
c. tua. 25. in fin. de decim. 2. quòd
Religiosi, qui Decimas acquirunt cum 9
consensu Episcopi de manibus Laico-
rum justè detinentium *jux. c. cum*
Apostolica. 7. de his quæ fiunt à Præl.
non possint ex translatione hujus Juris
in se, Decimas Novalium petere, sicut
nec ipsi Laici potuissent, secundùm
vulgatas regulas, quòd nemo plùs Ju-
ris in alium transferre possit quàm
ipse habeat, & surrogatum sapiat na-
turam ejus, in cujus locum surroga-
tur. *c. 2. in fine. h. t in. 6.*

At magna est dissensio, utrùm si 10
personis Ecclesiasticis, privilegium de-
ciman-

cimandi à. S. Pontif. concessum sit, per tale Privilegium etiam Decimæ Novalium comprehendantur? Affirmativam cum gloss. & Abbate *in c. ex parte. 27. h. t. per tex ibidem* plerique veteres Canonistæ tenuerunt, ut refert Barb *in eod. c. ex parte. n. 1.* ita enim sonat tex *in d. c. ex parte, cum tibi quod majus est sit concessum, ut videlicet Decimas de laboribus terræ Parochiarum tuarum cum integritate percipias: de Novalibus eas exigere satis potes; quia ubi majus conceditur, minus concessum videtur.* Econtra Recentiores existimant Privilegium decimandi etiam *Ecclesiasticis* concessum non comprehendere Decimas Novaliū. fundantur partim in comunib9 Juris regulis, quod Privilegia concernentia præjudicium tertij sint restringenda. *c. olim. de V.S.* item quod privilegia non extendantur ad futura tempore concessionis non extantia. *c. fin. de rescript.* partim verò in *c. 2. de decim. in 6.* ubi satis clarè insinua-

insinuatur, quod Jus percipiendi Decimas Novalium debeat per speciale Privilegium concedi, & non contineatur in Jure percipiendi veteres. decimas. textum autē *in d.c. ex parte* accipiunt de casu, de quo loquitur, videlicet quòd Prælatus possit petere Decimas Novaliū de Parochijs suo Monasterio incorporatis, in quibus loco Parochi est. *Covar. res. lib. 2. c. 17. n. 13. Gutier. Canon. qq. lib. 2. c. 21 n. 120. Barb. in d. c. ex parte n. 6.*

Ego in hac difficultate dico, inprimis inspicienda esse verba & mentem Privilegij; nam si habeat verba ampla & favorabilia, ex quibus colligi possit, mentem privilegiantis se extendere etiam ad Novalia v g. *concedimus ut omnes & quascunq; decimas, vel omnem Decimationē talis territorij peripere possis, &c.* dicendum erit, tale Privilegium etiam Novalia comprehendere, sicut id ipsum secundæ sententiæ authores admittunt. *Gutier.*

d. l. n. 125. & fundamentum est in *d. c. ex parte* ibi: *ut Decimas cum integritate percipias, &c.* Cœterùm si Privilegium sine hujusmodi verbis prægnantibus tantùm in forma communi concessum sit, mihi utraque sententia videtur adeò probabilis, ut non scirem alteram alteri præferre, nisi favor personæ litigantis aut aliæ concurrentes circumstantiæ facerent alterutram præponderare. Quarè si Parochus in hac quæstione concurreret cum Monasterio, quod ipsum etiam Sacramenta fidelibus dispensare solet, & idcircò magnum favorem meretur, Jusque decimandi esset in parvo districtu concessum, ita ut Parocho sufficiens sustentatio relicta fuisset, existimarem primam sententiam pro Monasterio fore præferendam, eamque confirmo *ex c. quia circà* 22. *de Privil.* ubi remissio Decimarum Episcopalium Monasterio indefinitè facta extenditur etiam ad Decimas

possel-

possessionum futuri temporis, quas scilicet Monachi primùm ex postfacto acquirent; *tùm nihil*, inquit ibidem Pontifex, *exceperit & potuerit excepisse, ac in beneficijs sit plenissima interpretatio adhibenda: nec debeat una eademq; substantia diverso Iure censeri.* quæ decisio & rationes Pontificis optimè adduci possunt contrà rationes pro secunda sententia adductis. neq; *tex. in c. 2. h. t. in 6.* adeò clarus est, quin responderi posit, eum non loqui de Privilegio à S. Pontif. concesso, sed si Religiosi Decimas à Laicis acceperint, sicut in fine declarari videtur, item si valdè grave præjudicium Parochorum vertatur. Sin autem Parochus concurreret cum singulari aliquâ personâ Ecclesiastica vel cum Monasterio quidem, sed posset probare per amplitudinem Privilegij se multùm gravatum & vix habere congruam sustentationem, tali casu non dubitarem alteram sententiam in Parochi favorem amplecti. Quæ-

Quær. 4. utrùm is, qui ex *præscriptione* habet Ius decimandi in aliena Parochia, possit decimas Novalium exigere? R. esse distinguendum inter Novalia impropriè dicta, & Novalia propriè dicta. De Novalibus impropriè dictis, quandò scilicet vinea ager fit, &c. prescribens Decimas de novis fructibus petere poterit: quia absolutè Ius decimandi in illo agro hactenus possedit, & præscripsit, *c. cum in tua. 30. h.t.* De Novalibus autem propriè dictis regulariter Decimas petere non poterit, sed ad Parochum pertinebunt: quia cum in loco Novalium ex defectu culturæ & consequenter fructuum, nullam decimationem exercere potuerit, intrat regula, quòd non censeatur plùs præscriptum quàm possessum, *c. cum contingat. 29. & ibi DD. h.t.*

Idem dicendum existimo, si ex prato, in quo præscribens nullas Decimas fœni percepit, ager fiat. *Arg. tex. in d. c. cum*

d.c. cum contingat. Licet enim hujusmodi Novale forsan in rigore sit *impropriè* tantùm Novale, subest tamen respectu præscribentis ratio, quæ in Novalibus propriè dictis militat, quòd nimirùm in tali loco nullum Ius decimandi exercitum, possessum, & præscriptum sit.

Quæritur autem 5. utrùm præscribens nullo casu possit Decimas de Novalibus propriè dictis accipere? S. Pontifex *in d. c. cum contingat.* generaliter excipit casum, quo præscribens potest aliquam *rationabilem causam* allegare, ex qua demonstret Decimas Novalium ad se pertinere. Porrò quænam sit talis *causa rationabilis* ibidem non exprimitur, sed DD. unam vel alteram enumerant. nimirum 1. si Decimæ præscriptæ sint intra limites certi prædij & ibi pars aliqua inculta ad culturam noviter redigatur, maximè si pars illa minor sit, quia una eademque res non debet diverso 12

Iure

Iure censeri, & major pars ordinariè trahit ad se minorem. 2. si ex loco inculto præ cribens Decimarum nomine aliquid saltem utilitatis prius perceperit. v. g. ex lignoglandibus, arundinibus, &c. *vid. Gutierez. l. 2. c. 21. n. 102. Gilken de præscript. p. 1 c. 6. n. 281.* 3. non dubita verim esse *causam rationabilem*, si præscribens præter ordinarium Ius decimandi insuper præscriptionem Iuris percipiendi Decimas Novalium probare possit, demonstrando videlicet, quod hactenùs de exurgentibus Novalibus semper solitus fuerit Decimas accipere.

Quæritur 6. an parochus possit inhibere Parochianis, ne Decimas separent, nisi se vel suo nuntio præsente?

13 R. affirmativè *arg. l. si suspecta. 29. de inoff. test. Spec. in tit. d. Decim. ad fin. Covar. var res. lib. 1. c. 17. n. 8. octavo.* imò tamesi de consuetudine contraria in aliquo loco Decimatio absente Parocho vel in horreo fieri soleret,

ret, si tamen Parochus posset probare, se multoties exinde defraudatum esse, justè peteret ab Episcopo istam consuetudinem declarari invalidam, ex eo quod sit damnosa Ecclesiæ & occasionem peccato præbeat. *c. 1. de consue.*

Quæritur 7. an Decimæ de integris fructibus, vel de ijs tantùm, qui supersunt deductis impensis necessarijs solvi debeant? R. differentiam esse faciendam inter Decimas *prædiales & personales.* in illis nulla fit expensarum deductio, secùs in istis *c. pastoralis de Decim.* rationem hujus differentiæ communiter assignant, quòd Decimæ *prædiales* debeantur eo modo, quo fuerunt institutæ in veteri lege, in qua Deus non respexit ad Ius Civile futurum quatenus ex illo verbum *fructus* interpretandum sit, sed id verbum *fructus* intellexit naturaliter, prout in fundo crescunt, & Dei beneficio percipiuntur, At verò cum Deci- 14

mæ

mæ *personales* debeantur ex sola legę Ecclesiæ, nec ullum de illis in legę veteri sit præceptum, meritò effectum est, ut in illis Iure humano inventis, & post Ius Ciu. institutis, verbum *fructus* civiliter (id est, deductis impensis *l. fructus. 7. ff. soluto. Matrim.*) consideretur. *Barb. De Offic. Par. p. 1. c. 6. n. 181.*

15 Quæritur 8. utrùm Parochiani teneantur proprijs sumptibus deferre Decimas in horrea Parochorum? R. principaliter attendendas esse consuetudines locorum, & diœcesium, valent enim consuetudines, ut Decimæ vel à Parocho asportentur, vel ab ipsis Parochianis deferantur. *Gutier. Can qq. lib. 2. c. 21. n. 45.* abstrahendo autem à consuetudine, magis communiter sentiunt DD. de Iure obligari Parochianos, ut in horrea Parochi Decimas deferant, suis etiam proprijs sumptibus. *per tex. & gl. in c. revertimini. 65. 16. q. 1. Gutier. d. l. n. 45.*

n. 43. Riccius in Praxi aurea p. 2. resol. 244.

Quæritur 9. an Decimæ non solutæ sequantur possessorem prædij? pone, quòd venditor prædij longo tempore non solverit Decimas, nunquid Parochus possit illas decimas non solutas ab emptore petere? R. affirmativè; ita tamen, ut emptor suum regressum ad compensationem damni propter evictas decimas contra venditorem habeat. Ratio desumitur ex *l. Imperatores 7. ff. de Publican.* ubi ita de vectigalibus & tributis constitutum est, ut ad ea etiam *præteriti temporis* solvenda possessores prædiorum convenire possint, eo quòd ipsa prædia potiùs, quàm personæ obligentur. undè rectissimè argumentum ad Decimas deduci potest, tùm quod Decimæ (quæ etiam *tributa egentium animarum* dicuntur. *c. Decimæ, 66. 16. q. 1.*) & ante omnia *tributa* propter prærogativam dominij Generalis 61

lis persolvendæ sunt. *c. cum non sit 33. h t.* magis à prædio quàm personâ debeantur, sicut eâ de causâ etiam Iudæi Decimas *prædiales* solvere debent. *c. de terris. 16 ubi gl. in v. persolvendas. h. t.* & habens prædia in alia Parochiâ, quàm ubi percipit Sacramenta, in illâ ubi eadem prædia sita sunt, Decimas dare debet, ut supra q. 1. dictum: tùm quòd Decimæ sint *onus reale*, quod in quemcunque possessorem transit, atque si extent utili vnidicatoria (præviâ actione *ad exhibendũ* vel *communi dividundo*, si à reliquis fructib⁹ separatæ non sint) aut si non extent, utili condictione ex. *d. l. Imperatores*, jũct *c. 1. de novi. oper. nunc* peti possint *c. moderamine 23. ubi gl. in V. vindicent 16 q. 1. c pastoralis & c. cum non sit x. h. t.* atque hanc sententiam cum multis antiquis tradit Pan. *in c. cum homines 7. h. t. n. 6.* Riccius *d. p. 2. resol. 57* ubi & illud notabile referunt ex Fed. de Senis.

17

Consil.

Consil. 81. n. 2. Si Parochus vel Ecclesia propter Decimas malit venditorem convenire quàm novum emptorem, qui fortè propter potentiam suam est difficilis conventionis, hoc esse ei concedendum, ne id quod in favorem Ecclesiæ est introductum, ut novum possessorem convenire possit, in ejus odium retorqueatur. dùm enim venditor prædium possedit, & fructus integros percepit, nata est contra eum actio personalis, seu condictio ex Canone ad solvendas Decimas, quæ per venditionem prædij exspirasse non videtur.

§. II.

QUO FUNDAMENTO alijs præter Parochum Ius decimandi competere possit.

1. Ecclesiastici acquirunt decimas ex Privilegio, incorporatione, præscriptione,

tione, & donatione laicorum.

2. *Quid requiratur ad præscriptionem decimarum.*

3. *Laici quamvis sint incapaces decimarum, possunt tamen aliquot modis eas habere.*

4. *Præscriptione etiam immemorialis non potest Laicus Ius directum decimandi acquirere.*

5. *Neq; etiam Consuetudine generali alicujus loci.*

6. *Laici multi habent decimas cum periculo animarum suarum.*

7. *Ex temporis immemorialitate præsumitur omni meliori modo pro decimis Laicorum.*

8. *Quid intersit an laicus præscripserit decimas, vel an tantum ex præsumptione reliuquatur in possessione.*

9. *Præsumptiones præsumptionibus eliduntur*

10. *Ex immemorialitate non oritur præsumptio Iuris & de jure.*

11. *Immemorialitas etiam tunc est quando*

Quando non constat deinitio possessionis, licet constet de contrario.

12. *An tempus immemoriale debeat 100. annos excedere.*

13. *Ex sententia affirmativa sequuntur 2. inconvenientia.*

14. *Negativa probatur.*

15. *notabilis limitatio in causâ decimarum.*

16. *Prohibitio Concilij Lat: potest consuetudine abrogari.*

17. *Illa prohibitio videtur tantùm procedere in infeudatione perpetuâ.*

18. *Ex consuetudine potest valere, ut unus laicus Ius utile in alium alienet.*

19. *Obligationi præstandi servitia feudalia, & canonem Emphyteuticum potest præscribi.*

20. *Ius utile potest quidem præscribi contra laicos sed non contra Ecclesiam.*

21. *Præscriptio non procedit contra prohibitionem Iuris publici.*

22. *Differentia, cur magis res Ecclesiæ immobiles præscribi possint, quàm Ius utile decimandi.*

QUamvis regulariter omnes Decimæ ad Parochum spectare censeantur, sunt tamen de Jure aliqui modi proditi, quibus Jus decimandi ad alios non solùm Ecclesiasticos sed etiam Laicos transferri potest.

1 Enim verò *Ecclesiastici* ex privilegio Papali, per incorporationem Parochiarum Monasterijs aut Canonicatibus factam, & per præscriptionem Decimas acquirunt. Item Laici, qui justè habent Decimas, possunt eas alicui alteri Ecclesiæ quàm suæ Parochiali, maximè verò cuidam Monasterio solius Episcopi accedente consensu donare *c. cum Apostolica 7. de his quæ fiunt à Præl.*

2 Circà præscriptionem Decimarũ notandũ est, quòd allegans præscriptionem contrà Parochum debeat vel tempus immemoriale, vel saltem 40. anno-

annorum cum titulo probare, propter præsumptionem Juris quæ militat pro Parocho & contrà præscribentem *c. 1. de præscript. in 6. junct. c. 2. De restit. spol.* Idem dicendum circà Parochias Monasterijs pleno Jure incorporatas, ita ut Decimæ earum non nisi 40 annis cum titulo contrà Monasterium præscribantur, quia per incorporationem, Monasterium haberur loco Parochi *Decisio Rotæ apud Tamb. De Iure Abb. tom. 3. dec. 120. n. 11.* Quod si autem præscriptio allegetur contrà aliam Ecclesiam, cui tantùm ex privilegio vel etiam præscriptione Decimæ competebant, sufficiet posse probare possessionem bona fide per 40. annos continuatam *d. c. 1.* imò contrà Clericum privatum vel Laicum 10. anni inter præsentes & 20. inter absentes cum titulo & sine titulo 30. sufficient. quia hic nec præsumptio Juris adest, nec favor Ecclesiæ, ob quem quadragenaria præscriptio re-

quiratur. *Pet. Rebuf. in tract. sing. de Decim. q. 13. n. 100.*

8 *Laici* quidem de Jure omnes sunt incapaces Juris decimandi, tanquam spiritualis & propter spirituale Ministerium competentis *c. causam 7. de præscript. & c. quamvis. 17. h. t.* Nihilominus 1. ex privilegio Papali Jus decimandi acquirere possunt: quia non excedit vires Papæ, Laicum ad Jus spirituale habilitare & secundum quid Clericis æquiparare, sicut de facto ad Jus patronatus, quod spirituale est, omnes Laici habilitati sunt. 2. ante Concilium Lateranense, quod probabiliter fuit habitum Anno salutis 1179 Laici poterant Ius decimandi ab Ecclesia in feudum vel Emphyteusim accipere, quia tunc tantùm acquirebant Ius utile & temporale non directum & spirituale, per dictum vero concilium Lat. id prohibitum est *c. 1. 16. q. 7.* Si tamen alicujus Majoris ante concilium Decimas in feudum ac-

accepissent, is etiamnum hodie eas rectè retinere posset. *arg c. 2. § sanè De Decim. in 6.* 3 per contractum locationis aut ususfructus etiam Laici Decimas habere possunt, quia tunc nihil de dominio Iuris spiritualis in illos, sed tantùm commoditas quædam percipiendi Decimas, non tanquam sibi sed Parocho debitas transfertur. 4. Quædā Decimæ sunt merè profanæ & *Laicales* quas olim Domini suis prædijs deindè subditis in usumfructum feudum vel Emphyteusim datis tanquam loco tributi, pensionis annuæ, vel Canonis imponebant *Greg. Tholos in Syntagm Iuris. lib 2. c 20.* quo etiam referri posse videtur illa portio vini quæ ex quibusdam vineis, præsertim in Austria exigitur, & vulgo Bergrecht appellatur.

Præscriptione autem etiam immemoriali ex communi DD. opinione laicus Decimas, quoad titulum dominij *directi* acquirere non potest, quia 4

est

est incapax possessionis, sine qua non currit præscriptio, *c. causam. 7. De præscript.* Vndè non obstat, quod à quibusdam in contrarium opponitur: videl. quidquid per privilegium acquiri potest, id etiam possit per præscriptionem immemorialem, quam constat habere vim privilegij *per tex. & gl. in c. super quibusdam De V. S.* atqui Ius decimandi Laicus per privilegium acquirere potest, ut dictum ergo, &c. nam negandum est suppositum, quod ex persona Laici detur immemorialis Decimarum præscriptio; datur quidem immemorialis *detentio*, quæ facti est, sed ex defectu possessionis & propter Iuris resistentiam, non datur immemorialis *præscriptio.*

5 Similiter nec consuetudine generali alicujus Provinciæ introduci potest, ut Laici possim Decimas Iure Dominij directi sibi vindicent, quia imprimis hæc consuetudo foret irrationabilis, ut Laici sine omni causa id habeant

beant, quod Deo & Ministris ejus in recognitionem universalis Dominij & propter spirituales labores debetur; deindè hæc consuetudo damnificaret Ecclesias, eas Decimis privando, meritò proindè invalidata intelligeretur. *in c. 1. De consuetud.* Notanter autem hactenus loquor de Iure *directo* decimandi, nam quid dicendum sit de Iure *utili*, paulò inferiùs ad finem hujus § exponam.

Grandis igitur est difficultas quomodo defendendi sint Laici, qui passim in nostris partibus Decimas non ex titulo ususfructus, vel locationis, sed Iure proprietatis sibi vendicant, nec Privilegium Papale, nec infeudationem ante Concilium Lat. factam ostendere possunt, nescitur tamen quo Iure vel titulo primitùs acceperint?

Vereor, ne multi Laici cum animarum suarum periculo Decimas detineant. *jux. t. in. c. prohibemus. h. t.* quando experientia constat, à tempo-

re, quo hæreses ordinem & tranquil-
litatem Ecclesiæ turbârunt, eò teme-
ritatis perventum esse, quod præser-
tim Patroni & Advocati Ecclesiarum
Iura & reditus Ecclesiasticos, quas
liberè in suam utilitatem convertant,
Parochos & Beneficiatos etiam non
requisito Episcopo, & nescio quibus
cũ illicitis pactis instituant, destituant-
que. Quare optandum foret magno-
perè, ut quidam Laici saltem opulen-
tiores ad eligendam viam tutiorem
& exonerandam suam, aut suorum
Majorum conscientiam induci pos-
sent, ut Decimas aliaque Iura Ecclesiis
Parochialibus restituerent. verùm
quia prædicti excessus non sunt de
omnibus Laicis præsumendi, & satis
colligitur ex Iure & DD olim non
fuisse infrequens, quod Laicis vel ob
merita sua in Ecclesiam, vel ob ipsius
Ecclesiæ utilitatem Decimæ ex privi-
legio aut per contractum feudalem
concederentur: idcircò in proposita

quæ-

quæstione duos casus principales distinguo.

I. An Laici habeant decimas à tanto tempore, ut nec de *initio* nec de *contrario* constet?

II. An habeant Decimas à tanto tempore, ut de *initio* possessionis quidem non constet, constet autem de *contrario* v. g. ex libris antiquis vel instrumentis authenticis, ex quibus ostenditur, quòd Decimæ ante annos 100. vel 200. adhuc pleno Iure penes Ecclesiam fuerint?

Quod attinet ad primum casum, 7
dico, quamvis Laicus Decimas præscribere etiam tempore immemoriali non possit, operatur tamen hæc immemorialitas temporis, quòd ex ea præsumatur antecessores Laici omni meliori modo sive deindè per privilegium, sive per infeudationem ante Conc. Lat. decimas acquisivisse. *arg. c. super quibusdam de V. S. c. 1. de præscript. in 6. l. hoc Iure. §. ductus a-*

quæ. ff. de aq. quot & æstiu. Pulchrè ad propositum loquitur Gilken. *de præscript. p. 3. c. 8. n. 23.* Quamvis, inquit 100. imò 1000. annorum possessio, ubi de non iusto primordio constat, non minuat possessionis causam, cum in persona possessoris & Majorum & Authorum ipsius tale ius coalescere non potuerit. *c. causam de præscript.* tamen ex quo de hujusmodi exordio non constet, & talis res sit, quæ ex causa Laico acquiri possit, existimandum est, quod cum tot annorum intervallo nemo ipsi quæstionem moverit, justam quoque initij rationem fuisse. Cum enim tam varij sint casus, ex quibus instrumenta intercidere, vel interverti possint, videl. incendium, furtum, injuria concerpentium, vetustas ipsa omnia paulatim hauriens, infirmitas memoriæ ignorantium, quo loco quid positum aut conditum sit, fiducia sui iuris ex tam longa & inconcussa possessione,

non

non debet Ecclesia in tot humanæ conditionis casibus occasionem quem ex inopinato casu, suo Iure evertendi aucupari, cuius fortè Majores propter optima in Ecclesiam merita Decimas quasi pro recompensatione acquisiverunt, quo etiam referri possunt quæ infra. *n.* 18. dicentur.

Sed, inquies, quid interest an Laicus præscripserit Decimas, vel an in illorũ possessione & perceptione relinquatur? ℟. Differentiam jam satis insinuatam esse, si enim ponatur Laicum præscripsisse Decimas, acquisivit Dominium Iuris, & id retinebit, tametsi aliquando post completam præscriptionem emergat titulus & initium inhabile, quia imposterum non ampliùs possidet Decimas ex primo illo titulo sed ex Iure præscriptionis. Sin autem Laicus tantùm ex præsumptione boni tituli, quæ oritur ex immemorialitate temporis relinquatur in possessione privabitur hac possessione, si

per Parochum de vitioso initio convictus fuerit. *Felin. in c. accedentes. n. 6. & in c. cum ex officij. n. 13. de præscript.* Non obstat quòd dicit Vasq. *illust. Controv. p. 1. lib. 2. c. 81. n. 12. & 15.* licet constet de uno titulo inhabili, nihilominus ex diuturnitate temporis de alio meliori expostfacto superveniente præsumendum esse: eò quòd ex antiquitate temporis factum non tantùm unum, sed etiam plura, si necessaria sint, præsumantur. Non obstat, inquã, utut enim hoc fortè procedat in alijs causis, in quib⁹ Successores saltẽ mediati in bona fide existentes per longissimũ tempus præscribere possunt, tametsi Antecessores eorum fuerint in mala fide *Fachin. lib 8. Controv. c. 27. vers. nec obstant. Cov. de præscript. p. 2. §. 9. n. 7.* secùs tamen est in in causa decimarum, in qua nulla præscriptio Laicum juvare potest. Propterea quando Parochus probat vitiosum initium possessionis, habet tri-

triplicem fortissimam præsumptionem pro se, unam ex incapacitate Laici, alteram ex Jure ipso, quo omnes Decimæ ad Parochum spectare censentur. *c. 2. de restit. spol.* tertiam ex demonstratione vitiosi initj in possessione Laici, dùm econtrà Laicus solam & unam præsumptionem ex immemorialitate temporis prætendere potest: notorium est autem, unam præsumptionem alijs præsumptionibus pluribus & fortioribus penitus elidi ac eneruari *arg. c. in. nostra. 4. De procurat. L. Divus. 7. de in integ. restit.* Neque verum est, quòd quidam contendunt, ex immemorialitate temporis oriri præsumptionem Juris & de Jure, contra quam non admittatur probatio in contrarium. Etenim nulla est præsumptio Juris & de Jure, nisi quæ expressè in aliquo Canone vel lege contineatur, quod de immemorialitate temporis non reperimus, eamque ob causam contrà probatam im-

10

memorialitatem admittendas esse probationes de vitioso initio rectè docent Arnold. Rath. *tract. de usucap. c. 5. assert 47. n 2. & 3.* Henr. Canis. *de Decimis cap. 9. in fin.* Fachin. *Controv. lib. 8. c. 33.*

In *altero casu principali* tota difficultas dependet ab eo, an dicatur tempus immemoriale, quando quidem non constat quo initio cæperit possessio, constat autem de contrario, quòd scil. ante tot & tot annos necdum apud antecessores moderni possessoris fuerit. Nam si dici debeat tempus immemoriale, de cujus initio non constat, habebit Laicus præsumptionem Juris ex immemorialitate temporis pro se, & relinquendus erit in possessione Decimarum, usque dum Parochus vitiosum initium ostendat. Sanè hæc quæstio non tantùm vix apud aliquem authorem in terminis reperitur, sed à plerisque confunditur & nulla inter *contrarium* & *initium* distin-

stinctio adhibetur. *ut per gl. in c. 1. in v. memoria de præscript. in 6. Mascard. de probat. vol. 2. Concl. 1042.* imò *in d. c. 1.* expressè dicitur illa immemorialis præscriptio, *cujus contrarij memoria non existit.* Verùm frequen- 11
tiùs DD. supponunt rectè dici possessionem immemorialem, quamvis constet, quòd aliquando contrarium fuerit, dummodo de initio præsentis possessionis non constet. *Graveta. de antiq temp. p. 4. sect. absolutis differentijs.* omnium clarissimè. *Molina de I. & I. tract. 2. disp. 76. n. 3. facit tex in 6. super quibusdam. De V. S.* ibi. *ex antiqua consuetudine à tempore cuius non extat memoria & in L. 3. §. ductus aq. ff. de aqua quot cujus origo memoriam excessit, Iure constituti loco habetur.* Doctores autem & textus supra relati optimè cum hac opinione conciliari videntur, per illum modum loquendi quo utitur Menoch. *De arbit. Iud. lib. 2. Cent. 1. casu 43. n. 2.* Nimirùm, quòd

quòd illud dicatur tempus immemo-
riale *cujus initij memoria non est in-*
contrarium bonus tex. *in c. 1. dè con-*
12 *suet. in 6.* Nova est disputatio, an
sit immemorialis possessio, quam con-
stat infra 100 annos cœpisse, nescitur
autem, quando? adeoque an tempus
immemoriale necessariò debeat 100
annos excedere?

Affirmant Card. *in c. si diligenti de*
præscript. Molina. *d. disp 76. n. 2.* Cov.
de præscript. p. 2. §. 3. sub. n. 9. Sed
si istorum DD. argumenta perpendo,
parum me persuadent. etenim quòd
ita inferant: centenaria præscriptio
requirit titulum *c. si diligenti. in fin.*
De præscript. ergo immemorialis, quæ
titulum non requirit, debet esse major
centenariâ, rectè negari potest conse-
quentia, quia quòd in centenaria re-
quiratur titulus, hoc ipsum in speciá-
lem favorem Ecclesiæ Romanæ con-
stitutum est, ne tam facilè per præ-
scriptionem damnificetur. undè quod
addit

addit Molina, præſcriptionem immemorialem eſſe magis privilegiatã, quam centenariam, verùm eſt reſpectu præſcribentis, non verò reſpectu ejus contra quem præſcribitur Deindè ex hac ſententia videntur ſequi duo inconvenientia nõ exigua. 1. quodfa- 13
vorabiliores eſſent partes illius, qui titulum non habet, quã qui habet, contrà nota Iura, ex quibus ſemper minori ſpatio temporis indiget, qui titulum habet, quam qui non habet. *c. 1. de præſcript. in 6.* nam qui in præſcriptione contrà Eccleſiam Romanam vellet ſe in titulo fundare, deberet neceſſariò probare poſſeſſionem continuatam per 100. annos, quia minor contrà Eccleſiam Romanam non admittitur, & immemorialis, hoc caſu propter extantiam tituli & oſtenſionem initij deficeret. ſin autem diſſimulato titulo vellet probare immemorialem, id facili negotio efficere poſſet, ſi (quod etiam DD, cc. concedunt)

dunt) testes de possessione per 40. annos produceret, & qui de cœtero non audiverint de initio ex quo satis apparet, quòd melior foret præscribentis contra Romanam Ecclesiam conditio, si titulum non haberet, quàm si haberet. Hinc 2. continuò sequitur alterum inconveniens, quòd nimirum hoc modo facillimè eluderetur privilegium Romanæ Ecclesiæ concessum, cum quilibet vel parum astutus nunquam se in titulo, sed ob facilitatem probationis semper in immemoriali fundaret.

14 Quare in hac difficultate Ego breviter sic dicendum arbitror quod in illis causis, in quibus præscriptio 40. annorum cum titulo procedit, probabilius sit, ex nullo Iure evinci, quin etiam infrà 100. annos ad effectum, quòd aliquis non teneatur probare titulum, detur immemorialis possessio si testes saltem per 40. annos testentur de visu proprio, quòd semper viderint

rint rem in hoc ſtatu fuiſſe, & de cætero audiverint de initio: quia tunc ſufficienter probatum eſt, quod *origo memoriam exceſſerit*, prout id ſolùm ad immemorialem poſſeſſionem requiritur *in c. l. 3. § ductus aquæ, de aqua quotid. & æſt.* & quia de Jure Civili in præſcriptione 30. vel 40. annorum abſolutè non requiritur titulus. *l. ſicut & l. omnes. C. de præſcript. 30. annorum.* De Jure vero Canonico per quandam correctionem ſit introductum, ut in præſcriptione 40. annorum requiratur titulus, ubi Jus reſiſtit præſcribenti. *c. 1. de præſcript. in 6.* videtur omninò congruum, ut hæc correctio ſtrictè accipiatur. *l. Sancimus C. de appell.* & non extendatur ad eum caſum, quo aliquis per famam & teſtes poteſt probare poſſeſſionem 40. años longius exceſsiſſe, & ita quidem, ut initij memoria non exiſtat, quamvis fortè 100. anni elapſi non ſint. atque hujus opinionis (ex alijs tamen fundamentis)

damentis) etiam est Cravetta *de an-tiq. temp p. 4. sect. absolutis differentiis n. 2. cum gl. in c. cum nobis. v. cen-tum. de præscript. & Alexandro a-pud eundem Crav. n. 4 citato.*

15 Interim tamen quia in causa De-cimarum non est locus præscriptio-ne sed solùm ex præsumptione proced-tur, ut jam sæpiùs repetitum; ideò li-benter concesserim, quando consta possessionem infrà 100 annos cœpis-se, nescitur autem quando, posse ta-les circumstantias & conjecturas con-currere, ex quibus præsumptio tempo-ris antiqui elidatur & pro Paroch (qui aliundè jam præsumptionem Iuris pro se obtinet) sufficienter pro-betur, Laicum malam possidendi cau-sam habere, nisi de legitimo titulo docuerit. v. g. si constet possessio-nem multùm infrà 100. annos cœpis-se; antecessores Laici fuisse potentes

hære-

hæreticos; si testes super immemoriali producti varient, &c.

Postremò quæri potest, utrum saltem circà Ius utile decimandi, cujus Laicus non est incapax, consuetudo vel præscriptio aliquid operari valeat? ℟. Cùm canon Later. Concilij, quo prohibetur, ne Laici de Decimis infeudentur, non sit Iuris naturalis aut divini, nihil putarem obstare, quin per contrariam consuetudinem abrogari possit. *arg. c. fin. de consuet. l. de quibus. cum seqq. ff. de L. L.* haud enim videtur irrationabile, quòd Laicis Decimæ in feudum concedantur cum authoritate Episcopi, si id ipsorum merita vel Ecclesiæ utilitas exposcat. Deindè illam prohibitionem Concilij plurimi D.D. tantùm accipiunt de infeudatione *perpetua* & in heredes transitoriâ, vndè

16

17

cùm

undè cùm correctiones Iuriũ non sint extendendæ. *l. sancimus C. de appell.* existimant, etiamnum hodie posse per Episcopum aliumue Ecclesiæ Prælatum Decimas alicui Laico ex justa causa & cum ordinaria Iuris solennitate ad tempus vitæ vel aliud longum tempus in feudum vel Emphyteusim concedi *gl. & Abb. in c. quamvis. de Decimis Cov. var. res. lib. 1. c. 17. n. 5.*

18 ℟. 2. quamvis inter DD. controvertatur in *c. prohibemus h. t.* utrùm Ius *utile* per unum Laicum acquisitum in aliùm rectè alienetur: nihilominùs per consuetudinem tales alienationes convalidari posse, quia in Iure dubio optima legum interpres est consuetudo. *l. si. de interpretatione 37. de LL.* & hinc non dubito, quin multæ Decimæ ante Concil. Later. ab Ecclesijs per modum feudi vel Emphyteusis separatæ sint, quæ etiamnum hodie apud Laicos manent non quidem semper Iure hereditario, sed per diver-

diversas venditiones & alienationes bonorum ad eos devolutæ, licet autem Laici, qui hujusmodi Decimas 19
possident, nulla pro ijs servitia secundùm naturam Feudorum Ecclesiæ præstent, non tamen statim evincitur quòd tales Decimæ ab initio non fuerint per modum Iuris utilis concessæ; nam præstatio servitiorum non est substantiale, sed tantùm naturale contractus feudalis, undè pacto & consequenter etiam præscriptione illa obligatio tolli potest, quemadmodum dari *feudum Francum*, in quo nulla servitia præstantur, nemo est, qui ignoret: Item quòd obligationi præstandi annuum canonem præscribi possit per Emphyteutam, dicetur inferiùs *in § 3. sub n. 7. ℞.* 3. hodie stante prohibitione concilij Later. posse quidem Laicum contrà alium Laicum ante Concilium infeudatum Ius utile 20
præscribere, contra Ecclesiam autem post Concilium non posse, vel enim

sciret

sciret post Concilium non licere habere Decimas in feudum ab Ecclesia, vel ignoraret: Si prius, foret in mala fide *vera*, si posteriùs esset in mala fide *ficta*, seu in ignorantia Iuris quæ non prodest acquirere volentibus, *Iuris. 7. ff. de Iuris & fact. ignor. L. nunquam. 31. in pr ff de usucap.*

Sed ais, posse contingere, ut aliquis sciat, non licere dare feudum Decimarum Laicis post Concilium, & tamen sit in bonâ fide, si nimirum ipse & ejus antecessores tempore immemoriali Decimas ex titulo feudi possederint. R. si in hac immemoriali possessione non constet de initio, omni meliori modo præsumendum esse, Laici majores forte ex privilegio & dispensatione speciali tale feudum accepisse. sin autem Parochus docere possit, quòd tantum per privatas conventiones inter eos & Laici antecessores (quamvis Episcopi authoritate accedente) feudum

datum

datum sit, quantocunque etiam tempore non erit præscriptum, sicut enim pactis privatorum Juri publico derogari non potest, ita nec contraveniri prohibitioni Legis communis publicam utilitatem concernentis per privatorum & particularium hominum præscriptionem. Cui non obstat, quòd res temporales Ecclesiæ immobiles vel mobiles pretiosæ alienari prohibitæ nihilominùs præscribi possint. *Riccius in praxi aureâ p. 1. res. 32.* nam diversitatis ratio est ista, quod res Ecclesię temporales non prohibeantur absolutè devenire in manus Laicorum, sed tantùm sine solenitatibus, quas cursus temporis, & bonæ fidei possessio per 40 annos continuata supplere videtur. Sed circà Decimas absoluta est prohibitio ne per viam etiam Juris utilis ad Laicos quibusvis cum solennitatibus transferantur.

§. III.

QUALITER DETUR immunitas à solvendis Decimis.

1. *An & qualiter detur immunitas â solvendis decimis.*
2. *Religiosi vi Iuris communis non solvunt decimas de animalibus & novalibus.*
3. *Multi ordines sunt adhuc amplius Privilegiati.*
4. *An habentes Communicationem Privilegiorum, communicent Privilegium immunitatis â solvendis decimis.*
5. *Consuetudine etiam datur immunitas, sed regulariter tantùm immemoriali.*
6. *Præscriptione etiam Laici immunitatem acquirere possunt.*
7. *An præstationibus annuis præscribi possit, & quis sit sensus L. cum notis*

simi § fin. C. de præscript. 30. annor.

8. *Quanto tempore præscribatur immunitas.*

9. *â restitutione decimarum ante completam præscriptionem non excusat consumptio bonâ fide facta, aut triennalis possessio.*

10. *Ecclesia habet dominium in decimis nondum solutis in sui favorem, non verò in sui præjudicium.*

11. *pupillus mutuans aut solvens manet dominus pecuniæ, quamdiu dominium sibi est utile.*

12. *Clericus minorennis in beneficialibus habetur pro Majorenne, ut possit agere in Iudicio, non verò ut careat auxilio restitutionis in integrum.*

13. *Immunitas per contractum potest acquiri gratis, vel pro alia re spirituali.*

14. *Conciliatio c. statuimus. & c. veniens. de transact.*

15. *Abbates possunt dare consensum in*

alienatione rerum ad suas Parochias pertinentium.

16. *Quo sensu pro re temporali possit acquiri immunitas.*

17. *Pauperes an sint immunes à solvendis dicimis.*

1 NOn defuerunt ex antiquioribus præsertim DD. existimantes neminem posse à solutione Decimarum eximi, eo moti argumento, quòd Decimæ sint Juris divini & consequenter per humanas inventiones non remissibiles. Verùm hanc sententiam cum communiori ita limitandam censeo, ut exemptio à solvendis Decimis dari non possit, si per eam congrua sustentatio Parochorum adimeretur. etenim Decimas non aliter esse Iuris Divini, quam in quantum ad sustentationem Clericorum necessariæ sunt, jam supra in §. 1. explicavimus. Quare si Parochus aliunde sufficientes reditus habeat, vel ex decimis aliquorum tantùm Parochi-

chianorum congruè sustentetur, rectè dari exemptionem seu immunitatem à solvendis Decimis per *privilegiũ Pontificium, consuetudinem, præscriptionem aut contractum.* 2

Per *Privilegiũ* idque clausum in corpore Ju. omnes Religiosi & alia pia loca exempta sunt, quo minùs de animalibus, quæ nutriunt, item hortis & Novalib⁹, quę proprijs manib⁹ aut sumptib⁹ excolunt, decimas dare teneantur, *c. ex parte 10. h. t.* Novaliũ autem nominè intelliguntur illæ terræ noviter per Religiosos ad culturã redactæ, de quarũ cultura non extat memoria, & ex quib⁹ prius Parochus nullas vel exiguas Decimas percipiebat *c fin. de Privil. & c. quid per Novale. 21. De V. S.*

Cœterùm extra corpus Juris per speciales Bullas multi Ordines Religiosorum exempti sunt non tantùm in Novalibus, sed etiam quibuscunque terris, quas suis laboribus vel sumptibus colunt, nec alijs colendas tradunt. 3

Sicut de Religiosis Congreg. Cassinensis, Camaldulensibus, Prædicatoribus, Carthusianis, & pluribus alijs attestatur Barb. *in d. c. ex parte n. 5.*

4 Quæritur autem, an illi Religiosi qui in specie quidem à solutione Decimarum exempti non sunt, attamen generalem communicationem privilegiorum cum exemptis habent, hoc ipso etiam quoad Decimas privilegiati censeantur? Negativè aliquoties fuisse in Rota decisum refert Barb. *de offici Par. 3. c. 28. § 3. n. 41.* quia immunitas à solvendis Decimis est difficilis concessionis propter præjudicium Parochorum. *arg. c. nuper. h.* ut proindè locum habeat regula, quod in generali concessione non veniant ea, quæ quis verisimiliter in specie non esset concessurus. *c. qui ad agendum. De Procur. in 6.* & quia *d. c. nuper.* in quo similia Privilegia abrogantur, est constitutio Conciliaris, cui non derogatur sine expressâ mentione

tione. Nihilominnus tamen notabiles limitationes ex alijs Rotæ decisionibus ponit Pasqual. *in addit. ad Lauret. de Franchis, de controv. inter Ep. & Reg. p. 2. q. 72. n. 10. & seqq.* Quod nimirum in generali communicatione Privilegiorum etiam veniat exemptio à Decimis, si communicatio sit talis, ut exprimat aliqua præjudicialia privilegia saltem in genere, vel adsit talis amplitudo verborum, ut significet mentem communicantis se extendere ad omnia. Item si in privilegio communicato, jam sit inserta clausula derogatoria dicti cap. *nuper*, quia privilegium comunicans comunicat privilegium cum suis qualitatibus. Præsertim si privilegium communicationis habeat amnexam Clausulam: *quorum tenores, &c.* quæ operatur ut privilegia communicata censeantur in litteris communicationis de verbo ad verbum inserta. Accedit quod privilegia exemptionum

à Decimis dentur Religiosis intuitu laborum quos sustinent in Ecclesia prædicando, docendo, & Sacramenta ministrando, ut dixit Rota *decis. 795. n. 27.* ergò æquitas suadere videtur, ut eiusmodi privilegia ad Religiosos communicantes, qui similes labores subeunt, pariter extendantur.

5 Per *consuetudinem* quoque dari immunitatem à solvendis Decimis verior est sententia. ita enim videmus Decimas *personales*, item Decimas minutas passim abrogatas esse, sicut attestantur DD. qui in diversis Europæ partibus de Decimis scripsêre. Sed hoc cum generali illâ limitatione accipiendum est, si nimirùm Parochus per talem consuetudinem congrua sustentatio non subtrahatur. Præterea rectè advertit Paulus Laym. in *Theolg. mor. l. 4. tr. 7. c. 6. n. 10.* quamvis regulariter ad introducendam consuetudinem adversus legem Ecclesiasticam 40. anni sufficiant;

quia

quia tamen lex Decimarum obligat sub gravi peccato, non posse ordinariè immunitatem per consuetudinem nisi tempore immemoriali introduci, ex quo scil. successores bonâ fide credant suis majoribus per privilegium, aut alium titulum obligationem Decimarum remissam esse. nam aliàs locum habebit text. *in c. cum haberet, de eo qui duxit, &c.* quòd *diuturnitas temporis peccatum non minuat, sed augmentet.* & *in c. fin. de consuet* quòd *tantò sint graviora crimina, quantò diutius infœlicem animam tenuerunt.*

Quod de consuetudine magis de *præscriptione* sentiendũ est; cùm enim præscriptio in eo differat à consuetudine, quòd consuetudo inducatur ab aliquâ Communitate, præscriptio verò à singularibus personis: Sanè minùs præjudicabit Parocho si unus vel alter per præscriptionem à solutione Decimarum se eximat, quàm si tota communitas. Imo quamvis Laici 6

Jus decimandi tanquam ſpirituale & propter ſpirituale miniſteriũ competens per pręſcriptionẽ acquirere nõ poſſint per ſupra dicta, im̃unitatẽ tamen eos præſcribere poſſe magis inter DD. convenit, quia per hanc nullũ jus ſpirituale ſed tantùm poteſtatem fructus ſuos integros percipiendi conſequũtur. *Cov. var reſ. l. 1. c. 17. n. 10.* Neq; verum eſt, quod quidã docent ex *l. cùm*
7 *notiſſimi. § fin. C. de præſcript. 30. ann.* obligationib⁹ añuis abſolutè pręſcribi non poſſe. nam contrarium evincitur ex *c. de quarta, &c ad audientiam de præſcript. l. eos. 22 C. de vſur.* quòd verò Imperator in *d. l. cùm notiſſimi.* dicit in ijs obligationibus quæ dationẽ per ſingulos años continent, præſcriptionis tempus non ab exordio obligationis, ſed ab initio cujuſque anni computandum eſſe, &c. ita intelligi debet, quòd circà obligationem annuam duæ quaſi diverſæ præſcriptiones concurrant, una quâ præſcribi-

tur ipsi principali & generali annuæ obligationi, quæ se habet respectu omnium præstationum annuarum, & altera, quâ præscribitur obligationi speciali & secundariæ dandi res singulas annis singulis: in illa præscriptio computatur â die quâ primitus in solutione cessatum est. *l. pen. in fin. C. de præscript. 30. ann.* in hac à singulis annis vel mensibus in quibus res illæ solvi debuissent. *d. l. cùm notissimi. §. fin. in pr.* Vnde qui v. g. per 50. annos Decimas bonâ fide non solvit, non tenebitur quidem illas Decimas restituere quas primo decennio percepit, quia etiam respectu illarum 40. anni elapsi sunt, neque illas, quas ultimo deceñio perceperit quia illæ post præscriptionem jam completam perceptæ sunt, illas verò quas intermedijs 30. annis percepit, restituere omninò tenebitur, cùm respectu illarum (numerando præscriptionem à singulis annis quibus solvi debuissent) ex de-

annis, quibus solvi debuissent) ex defectu 40. annorum, necdum completa sit præscriptio. Quam eandem interpretationem quondam docuit Reverendissimus Dominus Gregorius Kimpfler nunc Abbas Schyrensis, Professor & Antecessor meus de hac vniversitate nostra olim suâ præclarissimâ doctrinâ, nunc suis gratijs meritissimus. Videtur quidem in contrarium facere, quod Imp. *in d. l. cùm nostrissimi. §. fin* exemplum subijciat de Emphyteuta, (cujus etiam est obligatio annua) quòd nullo temporis curriculo rem Emphyteuticam tanquam propriam præscribere possit. Sed, nisi fallor, ex illa exemplo nostra sententia non parum confirmatur; nam Imperator vult dicere, quamvis Emphyteuta possit præscribere obligationi dandi annuum Canonem (aliàs enim frustra præmisisset qualiter præscriptiones circà obligationes annuas computari debeant) non tamen

propr-

propterea possit prætendere quòd res quoad dominium *directum* ad se pertineat, ex defectu scil: possessionis, quam non habuit ut Dns *directus*, sed tantùm ut Emphyteuta, quòd si interverteretur Domino possessio v. g. per alienationē in eum, qui rem tanquam liberam & propriam possideret, tunc etiam usucapio quoad Dominium directum procederet, ut advertit Gloss. *in d. §. fin. v. conductori. & in l. 2. v. usurpet. C. eod. tit.*

SedQ 1. quanto tempore īmunitas à solvendis Decimis præscribatur? 8

Distinguitur, an præscriptio prætendatur contra Ecclesiam Parochialem vel contrà aliam Ecclesiam aut Monasterium vel omninò contrà privatum Clericum aut Laicum. in primo casu requiritur cum titulo 40. annorum spatium, & sine titulo tempus immemoriale *c. 1. de præscript. in 6.* in secundo casu 40. anni etiam sine titulo sufficiunt; & tertio, 10. cum ti-

tulo & sine titulo 30. juxta vulgata præscriptionis Jura. ante omnia tamen in hac immunitatis, sicut in quavis alia præscriprione *bona fides* requiritur *c. fin. de præscript.* ut scil. immunitatem prætendens sine contumacia aut fraude justo errore ductus Decimas hactenus solvere recusarit. puta quia agrum tanquam immunem à Decimis emit, venditore privilegium vel compositionem cum Parocho factam allegante, vel quia putativum privilegium habet aut sui antecessores nunquam ab hominum memoriâ Decimas persolverint. *tex. in. l. fin. ff. pro suo.*

9 Quæritur 2. an is, qui bonâ fide per 10. vel 20. annos Decimas Ecclesiæ non solvit, si ex postfacto ad solutionem Decimarum condemnetur, teneatur non tantùm Decimas futuri, sed etiam præteriti temporis persolvere? videtur quidem negativè respondendum, cùm passim inter DD. con-

conveniat, bonæ fidei possessorem, à quo res possessa per sententiam evincitur, non teneri ad restitutionem fructuum consumptorum, §. *si quis à non domino. 35. Inst. De rer. divis.* neque extantium, quas bona fide per triennium possedit, & consequenter usu cepit. *Barth. in l. 4 § fructus. ff. de usucap. Rayger. in thesauro Iur. v. fructus. n. 57.* Quòd autem præscriptio trieñalis & quælibet minor decennio etiam contrà Ecclesiam procedat, communis est DD. *in auth. quas actiones. C. de SS. Eccles.*

Verùm hac ratione dubitandi non obstante, puto etiam Decimas præteriti temporis restituendas esse, nisi respectu singulorum annorum quadragenaria præscriptio intervenerit. etenim alia est ratio fructuum ex re aliena perceptorum & alia Decimarum. in fructibus præscribitur dominium verum & *irrevocabile*, cum prius fuerint reverà alieni & tantùm

in

in *quasi* seu *revocabili* dominio possessoris, ad eum principaliter effectum, ut exclusâ actione *in factum* eos fructus consumere potuisset. *Harp. in d. §. quis à non domino. n. 56. & seqq.* In decimis autem præscribitur obligationi, tanquam in quibus Ecclesia nondum *in sui præjudicium* dominium habuerit, sed actionem seu conditionem ex Canone *gl. inc. tua nobis. h. t.* neque in decimis rectè applicatur illa regula: quòd possessor bonæ fidei lucretur fructus, cùm decimæ respectu Parochi non se habeant per modum accessorij & fructuum, sed ipsæ per se principaliter sint in obligatione. Sicut si heres frumentum defuncto mutuatum ignarus mutui tanquam proprium consumpserit, non ideò minùs ex mutuo tenebitur.

Sed nunquid veriùs est, quod docet Pan. *in c commissum & in c tua nobis. h. t. n. 12* Decimas ante solutionem esse in dominio Ecclesiæ propter tex. in c.

moderamine. 16. q. 1. ubi *vindicatio* pro Decimis conceditur, quæ non nisi domino competere solet. *L. in rem. ff. de rei vindi.* & arg. *l. ut inter. C. de SS. Eccles.* inqua comuniter notant Interpretes, quòd dominium in Ecclesiam etiam sine traditione transferatur. Rz. hanc sententiam Panorm. 10 procedere in quantum est Ecclesiæ favorabilis, ut scil. possit Decimas à tertio possessore vindicare. *c. cum non sit. & c. pastoralis h. t.* ut bonis Parochiani subhastatis in Decimis extantibus ante omnes privilegiatos creditores ponatur *l. si. ventri. §. in bonis. ff de privil. Cred.* Non autem si exinde aliquod præjudicium Ecclesiæ inferatur, si propterea breviori præscriptione damnificetur, ne quòd in favorem Ecclesiæ est introductum, in ejus odium retorqueatur. *c. quòd ab gratiam. De R. I. 6.*

Quemadmodum in simili pupillus 11 (a quo bonum est argumentum ad Ecclesiam

clesiam *c. 1. de in integ. rest.*) si absque tutoris authoritate mutuam det pecuniam, vel solvat debitori, manet quidem adhuc Dominus pecuniæ mutuatæ vel solutæ, & si extet, eam vindicare potest. *l. non omnis. 19. §. 1. ff. de reb. cred. l. quod si. 14. §. fin. ff. de solut.* Sin autem pecunia consumpta fuerit, aut periêrit penes accipientes, pupillus in sui præjudicium non censebitur habuisse dominium, sed mutuum vel solutio convalescet, & condictionem in mutuo vel liberationem in soluto operabitur; ob eandem scil. causam, *ne quod in favorem*, &c. Pariter Clericus minorennis in beneficialibus causis habetur pro majorenne, unde & in ijs procuratorem constituere vel ipsemet agere
12 poterit. *c. fin. De Iudic. in 6.* Sed & hoc dum de favore ejus agitur, quid ergo si inconsultâ facilitate ductus suum beneficium resignaverit, anne exemplo minorennium læsorum

rum in integrum restituetur? Affirmativa magis recepta est, ex eodē iterùm fundamento, *ne quod in favorem &c. Cov. var. res. lib. 1. cap. 5. n. 3. Zoes. ad tit. Decret. de in integr. restit. n. 4.*

Quæritur 3. qualiter immunitas à solvendis Decimis per contractum acquiri possit? quòd per gratuitam & liberalem compositionem, item etiam pro re aut Iure aliquo spirituali (v. g. si Religiosi obligati ad solvendas decimas pro immunitate se obligent ad faciendas Conciones in Ecclesiâ Parochiali) immunitas rectè acquiratur, satis colligitur ex *c. statuimus. & c. veniens. de transact.* ita tamen, ut nisi Superioris Authoritas interveniat, talis contractus minimè obliget Parochum successorem, *d. c. veniens.* quàmvis emim successor hereditarius factum sui defuncti præstare debeat, ex cujus Personâ lucrum sentit, & cùm in eum omnes regulariter actiones passivæ & activæ transeant. *l.* 14

cum

cum à matre, C. de rei vind. l. ex quæ persona 149. & l. qui in Ius 177. ff. De R. I. Successor tamen in dignitate vel officio, cùm omne suum Jus non à defuncto, sed ab electione, institutione vel concessione superioris habeat, regulariter non tenetur stare pacto sui antecessoris, si illud pactum non sit jam absolutum & expeditum (ut venditio, donatio &c.) sed habeat causam continuam & etiam successorem obligare deberet ad aliquid de præsenti faciendum vel patiendum, ut in remissione decimarum in futurum, in locatione rei Ecclesiasticæ & similib9, nisi tale pactum nomine Ecclesiæ scil. cum consensu superioris (vel in majoribus Ecclesis cum consensu capituli) factum sit *Covar res. lib. 2. c. 15. n. 6. Gutier. can. qq. lib. 1. c. 36.*

114 Quæritur 4. quis in proposito veniat nomine superioris? dissonant inter se cc. in priori quæstione citata, in

in altero Episcopi, in altero Summi Pontificis authoritas desideratur. Libenter dicerem, Monachos, de quibus *in. d. c. veniens.* agitur, fuisse exemptos vel sub immediatâ Jurisdictione Papæ, sed quia non habeo hujus assertionis speciale fundamentum, ideò satis placet, quod pro concordatione dicit Pan. *in d. c. statuimus.* nimirum distinguendum esse an liberatio à decimis per contractum quæratur in perpetuum vel tantùm ad tempus: in primo casu, quia relaxatur Jus commune & contractus induit speciem privilegij, requiretur Consensus seu Authoritas Papalis, in altero autem casu Episcopalis sufficiet. Item solam Episcopi Authoritatem sufficere censet Pan. *d. l.* si contractus fiat super Jure decimandi dubio & controverso. Licet autem *per d. c. veniens.* in transactione (quæ tantùm fieri potest super re dubia. *l. 1. de transact.*) requiratur Consensus Papalis. nihilomi-

ominus illũ tex. de transactione sine causæ cognitione & evidenti utilitate Ecclesiæ Parochialis initâ intelligit gl. *in d. c. statuimus*. Barb. *in eod. c. venens. n. 3.* Porrò quod de Episcopo dicitur, de Abbatibus quoq; sentiendum est circà Parochias suis monasteriis pleno Jure incorporatas, quia ex communi DD. sententia per talem incorporationem Jurisdictionẽ quasi Episcopalem acquirunt, ut inter alia etiã authoritatẽ in alienatione rerũ ad hujusmodi Parochias pertinentiũ interponere valeant. *Pan. in d. c. statuimus. de transact. n. 4. Innoc. in eod. c. statuimus in. fine. gl. in Clem 1. in v proprij. de reb. Eccles. non alienand. Kokier. de Iurisd. in exempt. p. 1 q. 9. n. 7. & p. 4. q. 20.*

Quæritur 5. an immunitas à solvendis Decimis pro pecunia vel alia re temporali acquiri possit? Negativa favet tex. *in c. fin. de rerum permutat.* Sed verior mihi videtur affirmativa, hoc saltem sensu, quòd per contractũ

16

v.g. emptionis, qui initur super imũnitate, censeantur Decimę, quatenus considerantur ut fructꝰ imposterùm nascituri & decimationi obnoxij in proprio agro emi seu acquiri. Etenim valere emptionẽ fructuũ, qui nascituri sunt, tex. est *in. l. nec emptio. 8. De contrah. empt.* Item quòd rem, quæ mea est, possim emere sub conditione, & in illũ eventũ, ubi mea esse desierit: apertè probatur. *ex l. existimo 61. ff. jã dicto tit.* undè rectè advertit Barb *in d. c fin n. 2. Moneta de decimis c. 5. n. 130.* quòd in illo. *c. fin.* peccunia data sit pro *decimationibus* id est Jure decimandi, non verò pro Decimis & immunitate.

Quær. postremò: utrùm pauperes, qui nõ plùs colligunt ex fructibꝰ, nisi quantum sibi & suæ familiæ sufficit ad alimentationẽ, sint imũnes à solvendis Decimis? Pro affirmativâ, quã tenuit Melendus antiquus Canonista *apud Innoc. in c. licet. de cens.* facit, quòd nõ videatur Eccles. velle obligare pauperes 17

ad dan-

dandas Decimas, quæ jubet, ut Clerici pauperibus liberaliter subveniant. *c. aurum 12. q. 1.* Econtrà regativam communiter amplectuntur DD. *cum gl. fin. in c. quia tua. 12. q. 1. Sylv. Decimæ n. 13. Rebuf. de Decimis. q. 5. n. 14.* eò quòd Decimæ solvendæ sint instar debiti. *c. Parochianos. h. t.* in debito autem non habeatur paupertatis respectus, nisi postquàm debitor *bonis cessit*, & propterea, quòd ad solvendas Decimas non tantùm personæ, sed agri & fundi ipsi obligati censeantur. *c. de terris. h. t.* debeanturque Decimæ Deo in recognitionem universalis dominij, quod non tantùm divites sed & pauperes oportet recognoscere. Vtramque sententiam ita conciliandam esse puto, quòd pauperes à solvendis Decimis ipso Jure quidem liberati non sint, debeat tamen ipsis remissio per Parochos fieri. *Pan. in c. cum homines. n. 5. h. t. Suar. de Relig. tom. 1. l. 1. c. 16. sub. n. 16.*

Ca-

CAPUT II.

DE PRIMITIIS ET Oblationibus.

1. *Differentia inter decimas, primitias & oblationes.*
2. *Quid debeatur nomine primitiarum.*
3. *Primitiæ possunt abrogari per Consuetudinem.*
4. *Ex communi sententiâ non est præceptum faciendi oblationes.*
5. *In actibus meræ voluntatis non inducitur consuetudo.*
6. *quo fundamento procedat consuetudo circa oblationes.*
7. *etiam stante consuetudine non peccat, qui aliquando omittit facere oblationes*
8. *Parochianis non facientibus oblationes non debet Parochus negare Sacramenta.*

9. *Regulariter oblationes intra fines Parochiæ factæ pertinent ad Parochum.*

10. *Oblationes factæ in Ecclesijs Regularium pertinent ad Regulares, de funeralibus tamen debetur Parocho portio Canonica.*

1 INter Decimas, Primitias, & Oblationes hanc constat esse differentiam, quod *Decimæ* singulis annis in recognitionem universalis Domini de omnibus fructibus, *Primitiæ* tantùm semel de primis fructibus Novalium agrorum, & animalium in signum gratitudinis ergà Deum, *Oblationes* sine determinatione temporis, qualitatis aut quantitatis ex causa devotionis persolvantur.

Discussâ materiâ Decimarum circà primitias & Oblationes

2 Quær. 1. an nomine Primitiarum omnes primi fructus debeantur? Ri. Primitiarum nomine in fructibus agrorũ tantùm portionẽ aliquã quęqua-

drag-

dragesimam partem ipsorum fructuum non excedat, in animalibus verò non ipsum primogenitum in natura, sed de ejus æstimatione quadragesimam vel sexagesimam partem, juxta locorum consuetudinem persolvendam esse. *t. & gl. in. c. 1. De Decimis.*

Quæritur 2. an Primitiæ per contrariam consuetudinem abrogari possint? R. affirmativè, ita enim vix alicubi videmus Primitias exolvi, & quamvis Primitię debeantur ex prę- 3
cepto, tamen hoc præceptum in novâ lege non esse Juris Divini probabilius existimo, quemadmodum supra de præcepto solvendi Decimas dictum est. Neque obstat, quòd Primitiæ debeantur ex gratitudine ergà Deum, gratitudo autem consuetudine tolli non possit, nam respondetur, quòd quidem gratitudo in genere (id est, ut aliquis non teneatur esse gratus ergà Deum) utique nulla ratione tolli possit, in specie autem, ut ex causa gra-

titudinis præcisè hoc vel illud solvi debeat, non apparet, cur tolli nequeat, possunt enim homines per preces aut alia pietatis opera suam erga Deum gratitudinem demonstrare.

Quæritur 3. an sit præceptum aliquod, ex quo Parochiani cogantur certis temporibus Oblationes facere? Difficultatem movet, *omnis Christianus, 69. De Consec. dist.* ubi hæc verba leguntur: *Omnis Christianus procuret ad Missarum solemnia aliquid Deo offerre & ducere ad memoriam, quod Deus per Moysen dixit, non apparebis in conspectu meo vacuus. etenim in collectis SS. Patrum liquidò apparet, quod omnes Christiani offerre aliquid Deo ex usu SS. Patrum debent, &c.* Verùm communis et sententia, nullum esse præceptum de Oblationibus faciendis, imò de ratione Oblationis esse ut sit spontanea, juxta illud *Exodi. ab omni homine, qui offert ultroneus accipietis ea*

textum verò *in d. c. omnis Christianus*, cum Glos. DD. intelligunt procedere in casu, quo Parochus congruam sustentationem ex Decimis non haberet *Pan. ad rubr. de Parochys n. 3. Gutierez. Canon. qq lib. 2. q. 21. n. 139. & seq.* Ego quid in hac quæstione sentiam, ex resolutione sequentis quæstionis apparebit.

Quæritur 4. vtrum per consuetudinem obligari possint Parochiani ad præstandas certas Oblationes? In affirmativam passim conveniunt DD. *arg. c. ad apostolicam. 42. de Simonia.* Sed videtur non leviter obstare generalis doctrina, quam tradunt Interpp. *in c. Abbate. de V. S. & in l. 2. ff. de via pub.* quòd in actibus meræ voluntatis non introducatur consuetudo neque præscriptio. Respondet quidem Gutierez. *Canon. qq. lib. 2. c. 21. n. 144.* hanc doctrinam fallere, quandò de favore Ecclesiæ agitur; quæ tamen responsio non videtur in Jure aliquod

5

liquod solidum fundamentum habe-
re, neque probatur in *c. veniens 10. de*
testib. quòd allegat Gutier. in quo li-
cet dicatur, quòd Parochiani *consue-*
verint vinum beneficiato dare, non
tamen ibi exprimitur, qualiter hæc
consuetudo introducta sit, ex pacto
vel propter necessariam sustentatio-
nem Parochi, &c.

6 Quare puto hanc difficultatem
liter solvendam esse, & ut liberè di-
cam, quod sentio, ad summum con-
cedo Oblationes quoad *quantitatem*
& *qualitatem* esse *meræ facultatis* in
genere autem & quoad se existimo li-
bere aliquod principium obligatio-
nis ex Jure divino *ex c. 23. Exodi.* ac-
ceptatum in nova lege per usum SS.
Patrum, ut ex d. c. *omnis Christianus*
dist. 1. de consec. satis apparet. enim
verò mihi planè persuadeo authori-
tate tex nimis clari. *in d. c. omnis*
Christianus. olim in Ecclesia fuisse ge-
neralem usum per illum Canonem con-
firma-

firmatum, ut fideles certis saltem anni festivitatibus inter Missarum solennia Oblationes facerent: quare si in aliquo loco fideles id ipsum etiã hodie observent, videntur vel illum Canonem ab antiquo retinuisse, vel de novo in usum deduxisse. Quòd verò gl. citatum Canonem interpretetur procedere supposita necessitate Parochi; hanc interpretationem verbis textus generaliter loquentis non correspondere, & propterea *misericordem* esse notat aliqua glossella marginalis superaddita. haud quidem diffiteor, quin Parochiani compelli possint ad faciendas oblationes Parocho, si aliundè congruam sustentationem non habeat, id tamen non probatur nec dicitur in illo tex *c. omnis Christianus*. sed potius evincitur ex principio Juris Divini, & Naturalis ut is, qui servit Altari, vivat de Altari, &c.

Dices, si saltem quoad *quantitatem* & *qualitatem* oblationes sunt meræ

voluntatis, quomodo ergo per consuetudinem introduci potest, ut Parochiani teneantur hoc & non aliud offerre, v. g. certam quantitatem cerei, certum numerū ovorum, &c. ℞. si tales Oblationes sint valdè ab antiquo fieri solitæ & Parochus cæteroquin nullas percipiat decimas *minutas*, planè credibile est, quòd ejusmodi oblationes nec quo ad *quantitatem* & *qualitatem* sint *meræ voluntatis*, sed sint surrogatæ in locum Decimarum *minutarum*. arg. eorum quæ infrà de funeralibus dicentur. Quòd si autem Parochus simul percipiat Decimas minutas, vel non percipiat quidem, prædictæ tamen Oblationes in certa specie primùm ante decennium v. g. inceperint fieri, censeo puncto Juris esse conformius, in ijs non aliter induci præscriptionem vel consuetudinem, quàm si Parochianis aliquando ab illis Oblationibus cessare volentibus Parochus bonâ fide

(ductus

(ductus sententiâ Gutierez supra. *n.* 5. relatâ), contradixerit, & ita Parochianos huic contradictioni acquiescentes in putativâ obligatione & se in possessione hujus Juris perpetuò percipiendi certas oblationes constituerit. per ea, quæ docet gl *in l. quæ luminibus. ff. deservit. vrb. prædior. Arnold. Rath. in tract. de usucap. c. 4. ass. 5.* 7. Cœterùm circà hanc quæstionem adhuc notari potest, quod dicit Sylv. *v. Decimæ n. 4.* Oblationes ratione consuetudinis esse in præcepto, quomodo est ipsa consuetudo, scil. quod offerat major pars populi, non autem semper singuli de populo, sed solùm pro majori parte solennitatum, vndè non erit alicui mortale si oblationem nonnunquam sed rarò intermittat.

Quær 5. an si parochiani per consuetudinem obligati ad faciendas oblationes, aliquando, recusent eas facere, liceat Parocho propriâ authoritate sine Judicio Episcopi

à Divinis Officijs & Sacramentorum
8 administratione cessare? ℟. negativè, tùm quòd sæpiùs ejusmodi consuetudines requirant causæ cognitionem an legitimè introductæ sint, & Parochus non debeat esse Judex in propria causâ: tùm etiam & vel maximè quia talis cessatio à Divinis videretur habere aliquam speciem simoniæ, quia verò Parochus tantùm vellet Divina propter pecuniam & oblationes administrare. *arg. c cum in Ecclesia. De Simon. Gutier. d. c. 21 n. 152.*

9 Quær. 6. cujus sint Oblationes quæ non fiunt inmediatè ipsi Parocho, sed vel alteri Sacerdoti celebranti, vel certæ alicui imagini, aut in Speciali quadam Capella? ℟. nisi offerentes aliud intenderint, aut consuetudine & præscriptione aliud introductum sit, omnes oblationes intra fines alicujus Parochiæ factæ, censebuntur esse de Jure Parochiali & pertinere ad Parochum. *c. pastoralis & c. 9.*

c. quoniam. De Decim. Pan. in. rub. de. Paroch. n 4. Zerola in praxi Ep p. 1. v. Parochia. v. ad quintum & communiter alij. Notanter autem dixi, nisi offerentes aliud intenderint, nam si v. g. Capella vel Ecclesia, in qua fiunt ejusmodi Oblationes, indigeat ædificatione, reparatione, aut (propter modicam ejus dotem) necessaria conservatione, in dubio Oblationes in ea potius intuitu ipsius quàm Parochi factæ censebatur, & consequenter non Parocho sed Ecclesiæ seu Capellæ acquirentur. *Riccius in praxi aur. p. 4. Ressed 297.*

Quær. 7. an etiam Oblationes 10
quæ fiunt in Ecclesijs Regularium in quibus ipsi Regulares non habent Jura Parochialia, pertineant ad Parochum? affirmat Azor. *Instit. Mor. p. 1. lib. 7. c. 27. q. 13.* nisi Regulares speciali Privilegio aut præscriptione contrà Parochum muniti sint. Verùm contrariũ dicendum est cum

Pas-

Pasqual. *in addit ad Lauret. de Franch. p. 2. q. 69. tex. in c. 1. de stat. Mon. & c. nimis iniqua. De Excess. Prel.* ubi disertis verbis statuitur, quòd nec Ordinarij locorum nec Parochi possint Regularibus circà oblationes apud eos factas præjudicare. Quò faciunt etiam declarationes Card. quas refert Pasqual *d. l. n. 3.* & Petrus de Murga *in suis qq. Pastor. p. 3. q. 8. n. 7. & 8.* quòd nimirùm Regulares possint in Missa recipere Oblationes fidelium, dummodò à perambulationibus per Ecclesiam ac similibus Eleemosynarum extorsionibus abstineant. Quid autem dicendum sit de illis Oblationibus, quæ fiunt in Ecclesijs Regularium occasione sepulturæ, quam apud eos Parochianus aliquis eligit, inferius in cap. seq. dicetur. nimirùm quòd de Iure ex his Oblationibus debeatur Parocho *portio Canonica*, ut qui Sacramenta administrando onus habuit cum vivente, etiam de funere sentiat utilitatem.

Ca-

CAPUT III.

DE SEPULTURIS.

1. *Olim cadavera non licebat sepelire in Ecclesiâ.*
2. *Cur cadavera in locis sacris sepeliantur.*
3. *Ius funerandi computatur inter Iura Parochialia.*
4. *Quilibet debet sepeliri in Ecclesia Parochiali nisi habeat sepulturam electam, vel Majorum.*
5. *Vxor sepeliri debet cum marito.*
6. *Quid, si sepulchra Majorum sint in diversis Ecclesiis.*
7. *Ad electionem sepulturæ qualis solennitas vel probatio requiratur.*
8. *Non licet Religiosis Parochiam alienam ingredi ad tollendum funus.*
9. *Videtur congruum, ut maritus post vxorem defunctus cum eadem sepeliatur.*
10. *Prælatus Regularis potest sibi elige-re sepulturam.*

11. *Religiosus decedens in loco remoto extra Monasterium potest sibi eligere sepulturam.*

12. *Novitius in Monasterio sepeliri debet, licet ante mortem fuisset in proposito redeundi ad sæculum.*

13. *Cùm Parochianus alibi eligit sepulturam debetur Parocho portio Canonica, & quid veniat hoc nomine.*

14. *Qualiter prohibitum sit aliquem inducere ad eligendam sepulturam.*

15. *Tituli, ex quibus aliquid accipi potest in sepulturâ.*

16. *Non licet propter mortuaria non soluta corpus inhumatum relinquere.*

17. *Qui non gaudeant sepulturâ Ecclesiasticâ.*

18. *Gravis metus quando excusat à transgressione legis humanæ.*

19. *Excommunicati etiam non denunciati privantur sepulturâ, nisi excommunicatio sit occulta.*

20. *Se ipsos occidentes qualiter privantur.*

21. *Dub-*

21 *Duellantes quando privandi sepulturâ*

22. *Suscipientem duellum honoris defendendi causâ aliqui saltem in conscientia excusant quod non videtur practicè admittendum.*

23 *Etiam suppositâ sententiâ illâ excusante occumbens, in tali duello privatur sepulturâ.*

24 *Multa fiunt sine culpa veraque non fiunt sine causa aut culpa præsumpta.*

DIversos apud diversarum gentium Nationes extitisse modos procedendi cum corporibus defunctorum heroico carmine narrat Silius Italicus & post illum Cassanæus *in Catal. Gloriæ Mundi. p. 2. consid. 5.* alibi feris, alibi igni, aquis alibi, aut aeri lenta tabe diffluentia committebantur, &c. Sed inter Christianos usitatus mos est defunctorum corpora in terram defodere, ut juxta illud Gen. 3. *cap.* homo de terra sumptus, & pul- 11

vis,

vis rursus in terram & pulverem revertatur. in quem finem piè admodùm Majores nostri cum ipsa nascente Ecclesia constituerunt cœmiteria seu loca Deo consecrata, in quibus fidelium cadavera tumularentur, quamvis autem olim prohibitum fuerit, ne quispiam ipsa in Ecclesia (ubi Christus immolatur, cui mors ultra non dominabitur) sepeliretur. *c. præcipiendum. 13.q.2.* posteà tamen partim Jure, partim consuetudine introductum est, ut Episcopis, Abbatibus, alijsque pijs & honestioribus præsertim Laicis in ipsa Ecclesia locus sepulturæ concederetur. *c. nullus. 13. q. 2.*

2 Quòd verò cadavera potiùs in locis sacratis maximè propè templa constitutis, quàm in profanis sepeliantur, fit, ut minùs à spiritibus immundis vexentur, ut animæ consequantur patrocinium Sanctorum, quibus Ecclesia cum cœmiterio dedicata est, & ut vivi templum intrantes sæpiùs in suis

precibus defunctorum & ibi sepultorum memores reddantur. *c. cum gravia &c. animæ d. q. 2.*

Quær. autem; an omnes Ecclesiæ habeant Jus sepeliendi defunctos? 3
℟. Jus funerandi computandum esse inter Jura Parochialia, propterea cessante privilegio vel consuetudine ne quidem Monasteria quæ populum aut Parochiam non habent extraneos defunctos sepellire posse, præter suos Religiosos Professos & Hospites itidem Religiosos apud eos morientes. *c. 1. 16. q. 1. c. in nostra 10. de sepult.* dico, cessante consuetudine; nam hodiè omnia Monasteria vel ex privilegio vel consuetudine Jus sepeliendi defunctos habere, saltem si ibi sepulturam elegerint refert Lancellotus. *in suis instit. de sepult. § 1. in gl.* & si juxta textum *in c. 2. in fine h. t. in 6.* valet electio sepulturæ etiam in loco minùs Religioso, ergò multò magis hodie in quolibet loco Religioso se-

pul-

pultura eligi poterit. Cæterùm Jus sepeliendi ac cœmiterium alicui Ecclesiæ per Episcopum rectè concedi, Decisionem Rotæ adducit Barb. *de off. Par. p. 3. c. 26. n. 14.*

4 Quær. 2. an ergo quilibet in sua Ecclesia Parochiali vel ejus cœmiterio sepeliendus sit. ℟. imprimis attendendum esse, an defunctus certam aliquam sepulturam in alia, quàm suæ Ecclesia Parochiali elegerit, quod cum Jura omnibus permittant etiam filiofam, sine consensu Patris, etiam in quacunque Ecclesia vel cœmiterio ejus voluntatem implere modis omnibus oportet. *c. 4. 13. q. 2. c. 1. Ext. de sepult. c. 4. & passim. Eod. in 6.* Sin autem intestatus quis decesserit, cujus tamen Majores certam pro sua familia constituerint sepulturam, in hac potiùs quàm Ecclesia Parochiali tumulari debet. *c. 2. & 3. h. t. in 6.* Quòd si denique nec defunctus ipse, nec Majores ejus certum sepulturæ locum

cum sibi determinaverint, ad Ecclesiam suam Parochialem, quamvis extra eam mortuus fuerit, deferendus erit, dummodo ad illam commodè deferri possit. *d. c. 3. h. t. in. 6.* adeò ut si quis alienum parochianũ contra Jus proprij Parochi sepeliérit, possit ad restitutionem cadaveris, cum omnibus, quæ occasione sepulturæ quomodolibet acceperit, conveniri. *c. ex parte, &c. cum liberum h. t. c. 1. Eod. in 6.*

Circa vxores speciale est, quòd sicut in vivis relictâ familiâ propriâ secutæ sunt viros suos, ita post mortem non in sepulchro familiæ, sed maritorum tumulandæ sint, nisi propriam sibimet elegerint sepulturam, vel nisi divortium perpetuum ex causa adulterij vel hæresis (secùs si temporale tantùm ex causa sævitiæ, vel morbi contagiosi) intervenerit, nec id ante mortem reconciliatum sit. Quòd si aliqua plures successivè Maritos habuerit, 5

buerit, cum ultimo, cuius nomẽ & statum retinuit, sepelietur. *tex. & DD. in c. unaquæq. 13. q 2. c. 3. h. t. in. 6.*

6 Quær. 3. quid dicendum, si sepulchra Majorum sint in diversis Ecclesiis? ℟. in hac quæstione tres casus esse distinguendos. 1. Si in una Ecclesia sepultus sit Abavus, Proavus, in alia verò Pater & Avus, filius propter majorem conjunctionem cùm Patre & Avo sepelietur. 2. Si Avus, Proavus, & Abavus in uno loco sepulti sint, Pater verò elegerit sepeliri in alio, filius non cum Patre, sed potiùs cum Avo & proavo sepelietur *per tex. in c. fraternitatem. Ext. & c. is qui. h. t. in 6.* ubi dicitur, quem libet in eo loco sepeliendum esse, in quo parentes & majores *ab antiquo* soliti fuerunt tumulari. 3. Si Pater, Avus, & Proavus in diversis locis tumulati sint, nonnulli censent, filium in Ecclesia Parochiali sepeliendum esse, quasi hoc casu cesset sepulchrum

Majo-

Majorum; alij contrà volunt, Patrem sequi debere. *authoritate tex. in c. unaquæq. 13. q. 2. §. item in novo. vid. Syl. v. sepultura n. 8.* Mihi prior sententia videtur verior, pro conciliatione tamen alt ram tunc amplector, si Pater non simpliciter pro se tantùm, sed universim pro sua familia sepulturam elegerit: de quo casu non obscurè loquitur tex. *in d. §. item in novo.*

Quær. 4. utrum ad electionem sepulturæ requiratur aliqua solennitas? 7
℟. quamvis electio sepulturæ sit species ultimarum voluntatum. *ut per gl. addit. in c. 1. h. t. in 6. in. v. prædictos. arg. c ultimas. 13. q. 2.* Nihilominus tamen cum sit dispositio ad *pias causas* probabilius judico, nullâ aliâ solennitate muniri debere, nisi quòd eligens sit pubes. *c. pen. h. t. in 6.* compos mentis & sufficienter constet de ejus voluntate. Nam quòd favore Militiæ *in tit. De militari testamen-*

to. & favore Patriæ potestatis, *in L. hac consultissima. §. ex imperfecto, C. de testam.* concessum est, ut testamentum militis, & Patris inter liberos nullam solennitatem, sed tantùm probationem requirat, idem etiam DD. communiter & rectè ad *pias causas*, favore earundem, & propter salutem animæ, pro qua defunctus tale testamentum fecit, extendunt, & ita quidem, ut nec 2. testes, de quibus fit mentio *in c. relatum. 11. de testam.* ad substantiam necessarij sint. *Covar. d. c. relatum. n. 12. Tyraquel. de privilegio piæ causæ. privilegio. 2.* Quòd verò ad probationem electionis sepulturæ attinet, illa non nimis exacta requiritur, quia licet præjudicium Parochialis Ecclesiæ interveniat, id tamen non est valde notabile. Vnde electionem sepulturæ probari posse per testes singulares, & unum etiam, concurrentibus adminiculis, & quidem per solum Confessarium, cui tanquam inter-

interpreti voluntatis defuncti sit fides habenda. *arg. l. 1. in fin. & ibi DD. ff. de. V. O.* tradit Pasqual. *in addit. ad Lauret. de Franch. in Controv. inter Episc. & Regul p. 2. q. 64. n. 3. & seqq.* Solum tamen propositum eligendi sepulturam, antequam quis actu eligat, nihil operatur. *Lauret de Franchis. d. q. 64.*

Quær. 5. an Religiosi, quib^9 vel ob electam sepulturā vel sepulchrū Majorū Jus funerandi cadaver competit, possint propriâ authoritate illud de domo tollere, & per alienam Parochiam processionaliter ad suam Ecclesiam deferre? ℟. omnium primò attendendam esse loci consuetudinē, vel specialia pacta cum Parocho inita. *arg. c. 1. de pact. in 6.* Cæterùm abstrahendo à speciali consuetudine, pacto vel privilegio, Juri conformiùs censeo non licere ad tollendum funus alienam Parochiam sine licentia Parochi ingredi. *arg. c. un. 13. q. 1.* pro quâ senten-

sententiâ etiam Bullam Leonis X. il-
legat Zypæus *in Annal. Iur. Pont. tit.*
de sepult. n. 5. & seqq. Notandum
proindè est quòd Parochi corpora
Defunctorum in Ecclesijs Religiosa-
rum humanda usque ad Ecclesias pra-
fatas associare possint, & ibi perma-
nere, non tamen cum stola, neque ibi-
dem decantantes aut aliam functio-
nem facientes. *ita ex Declar. Card. de*
Tamburino docet Petrus de Murga in
9 *quæst. past. p. 3. q. 7. n. 6.*

Quær. 6. an si uxor specialé sepul-
turâ sibi elegerit & ante Maritũ defun-
gatur, debeat Maritus postea sine ele-
ctione sepulturæ decedens cum illa se-
peliri? Panorm. quamvis primâ fronte
id affirmaverit, tamen mox in negati-
vam magis propendere videtur. *in c.*
de vxore h. t. n. 7. eo quòd Jura tan-
tùm de Uxore loquantur, neque fæmi-
neo vocabulo masculi contineantur,
ut ait J. C. *in L. si ita scriptum. de leg.*
2. §

quidem Virum, non autem Vir Uxorem sequatur.

Ego puto non improbabiliter hoc modo distingui posse; ut siquidem Maritus habuerit *sepulchrum Majorum* debeat potiùs exemplo Patriarcharum cũ suis Patribus tumulari. Sin autem nec specialiter *electam* nec *sepulturam Majorum* habeat, & matrimonium in concordiâ transactum sit, existimo satis congruè dici posse, maritum potiùs cum Vxore, quàm in Ecclesia Parochiali sepeliendum esse, etenim propter individuã vitæ societatem, affectionem & vnionem conjugalem Jus disposuit, ut Vxor sepeliretur cum marito: quæ ratio cum etiam ex parte mariti procedat, idem sanè & circà hunc statuendum erit. *c. inter corporalia. vers. sicut ergo. De translat. Episc.* quæ extensio Juris satis ex præsumptâ voluntate Mariti defuncti induci potest, is enim sciens v-

xoris electam sepulturam & non faciens contrariam dispositionem, videtur planè ob maritalem affectionem eandem tacitè saltem etiam elegisse, ut *quorum mens una fuit in Domino, eorum quoque corpora sepultura non separaret*, sicut in simili dicitur *in c. unaquæque. 13 q. 2.*

10 Quær. 7. an Prælatus Regularis possit sibi eligere sepulturam? affirmativa communis est apud Pasqual. *in addit. ad Lauret. de Franch. p. 2. 61. n. 3.* arg. à contrario sensu *cap. fin. h.t. in 6.* nam ibi decernitur Religiosos non posse sibi eligere sepulturā, qui cùm alterius potestati subjecti sint velle *proprium* non habent: undè cum Prælati circà ea quæ pertinent ad Regimen Conventûs & sui ipsorum habeant *suum velle*, poterunt eligere. Verùm advertendum esse ait Pasqual. *d. l.* quòd hujusmodi electio sicut quælibet potestas debeat esse rationabilis, unde nullam fore censet ele-

electionem Sepulturæ, si eligeret Prælatus in loco quò deferri non posset sine notabilibus expensis: aut si ex tali electione læderetur honor & bona opinio Religionis, sicut læderetur si non appareret specialis prærogativa loci electi, quæ esset præponderans motivum ad relinquendam rationabiliter Sepulturam in proprio Monasterio.

Quær. 8. an Religiosi inferiores 11
possint sibi eligere Sepulturam, si extra Monasteria decedant? etiam hic affirmativa comunior & probabilior est, dummodo Religiosus ita remotè à suo Monasterio decedat, ut ad id commodè deportari non possit. Nam in *c fin. h.t. in 6.* ubi Religiosis interdicitur electio Sepulturæ, apertè additur hæc exceptio, *nisi tam remotè à Monasterijs moriantur, ut commodè ad ipsa deferri nequeant. Pasq. d.p. 2. q. 60. n. 3. & plurimi apud e-*

um cc. facit tex. in c. nimis iniqua. 16. de excess. Prælat.

12 Quær. 9. an Novitius qui sine electione sepulturæ decedit, sepeliendus sit in Monasterio vel Ecclesia sit Parochiali? pro Ecclesia Parochiali respondet Pet. de Vbaldis *de Canon. Episc. c. 9. n. 34.* Angelus. *in v. sepultur. n. 26.* eò quòd Novitij non sint verè Religiosi seu de corpore Monasterij. Nihilominus dicendum est, Novitios in ipso Monasterio sepeliri debere, quia quoad pleroscque effectus (extrà votorum obligationem) Religiosis connumerantur; nimirùm quoad Sacramentorum perceptionem, privilegium Canonis, *c. Religioso. de sent excom. in 6.* & fori. *Navar Cons. 5. & 6. de foro comp.* Sed quid si Novitius ante mortem fuisset in proposito redeundi ad sæculũ, nunquid, quia tunc elegisset mori in sæculo, censendus foret etiam extrà Monasterium elegisse sepulturam? Negati-

gativa verior est contrà Syl. *v. sepultura. q.8.* quia solum propositum non extrahit Novitium à statu Novitiorum, sicut nec voluntas mutandi Parochiam subtrahit à Jure Parochi. *arg. l. domicilium ff. ad municipalem, &c.* Sed requiritur factum solvens illum contractum, quo Novitius se tradidit experiendum Religioni, & ipse acceptavit Religionem experiendam. *Lauret. de Franch. in controv. inter Episc. & Regul. p. 2. q. 57.*

Quær. 10. quid Juris habeat Parochus si Parochianus alibi elegerit sepulturã? ℟. quòd debeatur ipsi portio canonica de ijs, quæ alteri Ecclesiæ, ubi sepultura electa est, occasione funeris obveniunt, ut qui Sacramenta administrando onus habuit cum vivente, post mortem ejus etiam de funere aliquod emolumentum participet. & quidem si de puncto Juris communis præsertim antiqui loquamur, hęc portio aliquando est dimidia, aliquando

tertia, & aliquando quarta pars pro cujusvis loci consuetudine, non tantùm de candelis, oblationibus, panno tumbæ, &c. sed etiam de omnibus quæ vel titulo institutionis vel legati defunctus pro anima suaEcclesiæ electæ sepulturæ reliquerit. *c. 4. c. cum super. c. certificari c. in nostrà de sepulturis.* specialiter tamen excipitur *in c. fin. de testam.* quòd non sit solvenda portio Canonica de his quæ pro fabrica Ecclesiæ, pro ornamentis, luminaribus, anniversario, septimo, vigesimo, trigesimo die, sive alijs ad perpetuum cultum Divinum legantur, & quamvis *in clem. dudum de sepultura* d. cap. *fin.* videatur abrogatum, nihilominus gl. *in. d. clem. in §. verum.* & Cov. *in c. officij de testam. in 6.* censent eandem Clementinam utpotè correctoriam & strictæ interpretationis non esse ultrà FF. Prædicatores & Minores, de quibus loquitur, extendendam. dixi porrò de puncto

cto Juris comunis hæc ita procedere: Nam per Bullas & Privilegia specialia, item multorum locorum consuetudinem, Monasteria, & Religiosorum Ordines, vel nullam omninò portionem Canonicam, vel nonnisi de funeralibus propriè dictis, quæ scil. eodem die cum funere deferuntur, uti sunt candelæ, pannus, oblationes, &c. persolvere tenentur. Sicut etiam d. Clem. *dudum* circà portionem Canonicam respectu Prædicatorum per Privilegium Sixti, & respectu Minorum per Privilegium Pij V abrogatam esse, refert Sylv. *v. portio Canonica. in fin.* & Miranda *in Man. Præl. tom. 2. q 48. art. 8. vide. etiam Tambur de Iur. Abb. tom 1. disp. 15. q. 17. Molina de I. & I. tract. 2 disp. 215.*

Quær. 11. an liceat Religiosis aut Clericis aliquem inducere vel persuadere, ut in suis Ecclesijs eligat sepulturam? ℟. id sub pæna excommunicationis S. Pontifici reservatæ & restitu- 14

tionis cadaveris jam sepulti prohibitum esse *in c. 1. de sepult. in 6. & Clem. cupientes. De pœnis.* attamen rigor hujus constitutionis ita communiter temperatur, ut procedat in electione irrevocabili, quæ voto, juramento, aut alio pacto *perpetuo* concipitur, non verò in electione mutabili, quæ fit per testamentum, Codicillum, aut aliam promissionem revocabilem. Item cum textus loquatur de inductione circà proprias Ecclesias, non incurretur censura si Regulares inducant ad eligendam sepulturam in aliena Ecclesia, pœnalia enim sunt strictè interpretanda. *Pasqual ad Lauret de Franch. d. p. 2. q. 63. n. 2. & seqq Angelus in v. sepultura. n. 35. Nav. in Man. c. 27 n. 103.*

Quær. 12. quomodo defendi possit consuetudo, quæ undequaque inolevit, quòd pro sepulturis pecunia accipiatur? In *c. cum in Ecclesiæ. 9. de Simonia.* dicitur horribile, quòd pro

sepul-

ſepulturis & exequiis mortuorum aliquid exigatur, &c. Econtrà in *c. ad Apoſtolicam 42. de Sim.* damnantur Laici, qui id ſolvere recuſant, quod Clerici pro exequijs mortuorum juxta laudabilem conſuetudinem petunt. ℞. non poſſe pro ipſa ſepultura, nec pro loco Deo conſecrato tanquã pro rebꝰ ſpiritualibus aliquid temporale peti ſine labe Simoniæ. *c. quæſta. 13. q. 2. c. abolendæ. Ext. de ſepult.* Verùm con- 15
ſuetudine præſertim accedente non eſt iniquum ſi aliquid petatur. 1. pro conſervatione cæmiterij vel loci ſpecialis ſepulturæ aut ſuſtentatione cantorum. 2. propter ſpecialem laborem, ad quem ſepeliens, qui Parochus non eſt, non tenetur, ſicut in ſimili pro lectione Miſſarum ſtipendium accipi poteſt. 3. pro ſuſtentatione Parochi qui aliàs exiguos reditus habet. 4. cùm Decimæ *perſonales* paſſim in deſuetudinem abierint, & difficilè fuerit hominum ſubſtantias dum viverent per-

ſcrutari, ut ſciretur quantum quot annis lucrati fuerint; ideò fas eſt credere, in locum Decimarum *perſonalium* mortuaria ſucceſſiſſe, & Parochos contentos fuiſſe, quòd ſibi poſt mortem cujusliber ſummatim aliquid vice decimarum perſonalium exolveretur. 5. quòd honor & præeminentia ſpecialis ſepulturæ (dummodo illa præeminentia ſit propter reſpectum aliquem temporalem, ut quia eſt in loco ſublimiori & conſpicatiori) item obligatio Eccleſiæ, quòd nullum alium velit recipere ad locum electæ ſepulturæ, quàm eligentis familiam, ſit prætio æſtimabilis, cum plurimis tam Theologis quàm Canoniſtis cenſet Barb. *de off. Par. p. 3. c. 26. & ſeqq.* Sed admoneo in hac quæſtione, nullo modo eſſe licitum, ſed contrà Chriſtianæ pietatis officium & per Ordinarios caſtigandum, quòd propter exactionem pecuniariam, ſeu mortuaria non ſoluta, defunctorum

16

cada-

cadavera inhumata relinquantur. *c. abolendæ. de sepult. Sac. Congreg. Episc. quam ex Sylv. refert Barb. in Collect. DD. ad Conc. Trid. s. 25. de ref. c. 13. n. 36.*

§. UNICUS.

Quinam sint indigni sepulturâ Ecclesiastica?

I. INdigni censentur, qui non sunt
27 de Ecclesia, videlicet Judæi & Gentiles. *c. Ecclesiam 27. de consec. dist. 1.* quibus etiam annumerantur infantes Christianorum, qui ante baptismũ decesserunt. si tamen infans ab obstetrice, vel cum materia aut forma dubia, aut etiam dum de eius vita dubiũ erat, baptizatus sit, sepultura Ecclesiastica privari non debet; item si in utero Matris manens vnacum Matre moriatur, vnàcum illâ sepeliendus est, quia pars Matris esse censetur *l. 1.*

§. ex. hoc. ff. de vent inspic. si verò propter spem vitæ à præmortua Matre exsectus fuerit (quod fieri debet quando vita infantis servanda) nec tamen speratur vivus baptismum attigerit, extra locum consecratum humabitur.

II. Indigni sunt hæretici atque omnes, qui ipsis in puncto hæresis (non in alijs negotijs) favorem, auxilium, aut receptaculum præbent. *c. 2. de hæret. in 6.* Sed quia nonnunquam contingit, quòd familia alicujus potentis hæretici cum comminatione gravium malorum desideret sepulturam Ecclesiasticam hæretici defuncti, ideò quæritur, an ad evitandum grave malum possit Parochus dictam sepulturam concedere? Difficultatem facit. *c. Sacris 5. De his quæ vi metusve causa &c.* ubi S. Pontif. dicit, quòd propter metum nullatenus liceat communicare cum excommunicato, *quamvis enim*, inquit, *metus attenuet culpam, eam tamen non prorsus exclu-*

dit,

dit, cùm pro nullo metu debeat quis mortale peccatum incurrere, &c. ex quo textu nonnulli concludunt, quòd metus non tantùm non excuſet à transgreſſione legis Divinæ, aut naturalis, ſed nec etiam à tranſgreſſione legis humanæ, ſiquidem prohibitio communicationis cum excommunicato (de qua *in.d.c. ſacris* mentio fit) tantùm Jure humano Pontificio, ſtatuta ſit; ſicut etiam videtur nullatenus poſſe licere, ut propter metum liceat contrahere cum conſanguinea intrà 3. vel 4. gradum, licet id impedimentum tantùm Juris poſitivi ſit, neque debeat exiſtimari inſolitum, quòd lex humana etiam cum periculo mortis obliget, quemadmodum in legibus militaribus quotidianum eſt. Verùm ego puto diſtinguendum, an ſepultura hæretici, vel quævis alia tranſgreſſio legis Pontificiæ petatur, in contemptum Eccleſiæ, vel ex alia cauſa, v. g. ad ſplendorem familiæ

conservandum, &c. priori casu locũ habebit tex. *d. c. sacris*, nam cooperari ad contemptum Ecclesiæ non est tantùm lege humana, sed utique etiam Divina prohibitum juxta illud *Matth. 18. qui Ecclesiam non audiêrit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus.* Posteriori autem casu communior est sententia, quòd gravis metus excuset à transgressione legis humanæ, quia non est verisimile legislatorem voluisse obligare in casu tam extraordinario *l. nam ad ea ff. de LL.* & cum magno alterius damno, undè qui justo metu adactus contraxerit cum consanguinea, non peccabit per contractum, peccabit autem per copulam; cum enim tale Matrimonium propter impedimentum consanguinitatis (quod metus tollere non potest, sed tantùm excusare à peccato) sit nullum, copula consequens non tantum lege humanâ sed & Divinâ prohibita erit. Verum quidem est,

quòd

quòd Dux belli possit imperare militibus, eosque etiam ad periculum vitæ obligare, sed id exigit salus publica & natura belli, atque ibi apertè constat de imperantis voluntate, & milites tam periculosarum legum non ignari, nihilominus se ultroneè Ducis potestati subdiderunt. *Syl. v. metus. n. 7. Azor. inst. Mor. lib. 1. c. 11. q. 1.* Quòd si igitur contingat cum tam periculosis minis peti sepulturam Ecclesiasticam, non in contemptum Ecclesiæ, sed pro honore familiæ, ut præmissum, Parochus non tenebitur cum gravi suo damno resistere, cessante tamen periculo tale cadaver, si ab alijs dignosci possit, iterùm exhumare debet, ut clarè constitutum est *in c. Sacris 12. de sepult.*

III. Indigni sunt in excommunicatione aut interdicto decedentes, si ante mortem saltem à simplici Sacerdote absoluti non sunt, quibus enim non communicamus vivis, etiam non com-

communicare defunctis debemus, *d. c. Sacris. & c. fin. h. t. c. is, cui 20. De sent. excom. in 6.* si tamen ante mortē signa pœnitentiæ dederint, etiam post mortem absolvuntur, & sepulturæ Ecclesiasticæ mandantur, *cà nobis. 23. de sent. excom. & d. c. is cui.*

19 Cùm autem hodiè per Extravag. Mart. V. *ad evitanda scandala, &c.* nullus excommunicatus necessariò vitandus sit, nisi fuerit per Ordinarium tanquam excommunicatus *denuntiatus*, vel sit notorius *percussor Clerici*, ideò controvertunt DD. utrum hodiè excommunicati, qui vitandi non sunt, sepulturâ Ecclesiasticâ gaudeant? Affirmativam sustinent Nav. *De sepult. Cons. 4* & Paul. Laym. *in Theol. mor. lib. 5. tract. 5. c. 5. n. 8. circà finem & plures apud eum citati*, ex eo, quòd circà tales excommunicatos deficiat ratio *in d. c. Sacris.* assignata. Nihilominus probabilius judico, si de excommunicatione constet publicè,

non

non esse dandam Ecclesiasticam sepulturam, quia d. Extravag. non vult adiuvare excommunicatos, sed tantùm fideles innocentes, ne facilè aliquam censuram incurrant. *Cov. in relect. c. Alma Mater. de sent. excom. in 6. p. 1. §. 2. n. 11. Zoes. ad. tit. decret. de sepult. n. 9.* Notanter dico: si excommunicatio sit *publica*; nam si sit occulta & fortè soli Parocho cognita, non erit sepultura Ecclesiastica deneganda, quia privatâ scientiâ uti quidem licet quandoque in privato, non autem ad condemnationē in publico.

Quòd si quis notoriè excomunicatus de facto in loco consecrato sepultus esset fortè posset tolerari propter authoritatem DD. qui primam sententiam docent, multa namque prohibentur, quæ tamē facta sustinentur. *c. ad Apostolicam de Regul.* maximè quandò irritatio facti multa incommoda secum trahit, ut in nostro proposito exhumationem cadaveris, pollutio-

lutionem & necessitatem reconciliandi Ecclesiam vel cœmiteriũ, præjudicium Parochianorum, qui interim propter pollutam Ecclesiam Sacrificijs, & sepulturâ carere debent.

IV. Sepulturâ Ecclesiasticâ privantur omnes in notorio peccato mortali decedentes, uti sunt in ipso crimine furti vel adulterij, &c. interempti
20 c *fures* 13. q. 2. item sibi mortem inferentes ex desperatione vel iracundia. *c. placuit* 13. q. 5. secùs est, si ex fatuitate, vel si inflicto sibimet vulnere lethali ante mortem pœnituerint, imò in dubio non debet statim præsumi quòd peccaminosè sibi ipsi mortem aliquis intulerit, nisi ex alijs conjecturis appareat. *Nav. h. t. Cons. 7. Cov. var. res. lib. 2. c. 1. n. 11.* Interim tamen quia communi hominũ existimatione creditur ex desperatione & in malo statu decessisse, qui v. g. in cubiculo suspensus, aut in puteum precipitatus reperitur, ideò si ex adver-

so

ſo aliquæ coniecturæ adſint pro ipſo defuncto, quòd ex corruptione mentis, aut ab alijs ſuſpenſus ſit, vel quòd caſu in puteum deciderit, &c. ad evitandam qualem qualem hominum offenſionē fortè non inconſultò fiet, ſi tale cadaver de noctu ſine conſuetis ſolenitatibus in loco conſecrato ſepeliatur. Cæterùm ſubitaneâ morte extincti, etiamſi conſtet, quòd in vita ſæpiùs peccaverint, nihilominus ſaltem privatim pænituiſſe cenſebuntur. *t. & Pan. in c. ex parte h. t.*

V. Eccleſiaſticâ ſepulturâ non gaudent, qui omiſerunt Paſchalem Confeſſionem, niſi ante mortem pœnituerint. *c. omnis utriuſq; 12. de pœn. & remiſſ.* VI. Uſurarij manifeſti mortui antequam reſtituerint vel de reſtituendo caverint. *c. 2. de uſuris in 6.* VII. Religioſi proprietarij. *c. 2. c. cum ad Monaſterium de ſtatu Mon.* VIII. Qui in Torneamentis non cauſa recreationis, & honeſtæ armorum

ex-

exercitationis, sed cum periculo vitæ institutis decedunt, *c. 1. de Torneam.*

IX. Demùm excluduntur à sepulturâ Ecclesiasticâ, qui in duello etiam privato sine patrinis & sociis cum ordinario tamen periculo vitæ, ex condicto, statuto tempore, & in loco convento instituto, occumbunt, *Trid. S. 25. de ref. c. 19. juncta Bulla Greg. XIII. ad tollendum & clem. VIII. Illius vices, &c.* quòd si tamen aliquis in duello quidem lethaliter vulneretur, sed extrà illud receptis Sacramentis vel saltem datis pœnitentiæ signis moriatur, mihi videtur benignius non esse privandum sepulturâ Ecclesiastica, quidquid alij contradicant, quia Concilium tantùm loquitur de occumbentibus in duello, nec ex Bullis aliud evincitur: proindè locus est receptæ doctrinæ, quòd pœnæ potiùs interpretatione leniendæ quàm exasperandæ, nec ad casus etiam planè similes expressis extendendæ sint.

Præ-

Præterea pœnæ duellantium non habent locum in illis, qui dum sese invicem in platea offendunt, statim ibidem dimicant, quia cum termini pœnales sint strictè accipiendi, talis dimicatio non est propriè duellum, quod fit ex condicto & statuto tempore, sed potiùs repentina aggressio & defensio. Item volunt nonnulli, calore iracundiæ excusari à pœnis duelli, qui in continenti accederent ad locum aliquem, ibique dimicarent, *vid. cc. apud Barb. in. collect. DD. ad Concil Trid. s. 25. de ref. c. 19. n. 13. & seqq.*

Sed quid si miles in exercitu, Vir 22
equestris in Aula Regia officio, dignitate Ducis, aut Principis favore ob ignaviæ suspicionem excidere debeat, nisi identitem provocanti se sistat. Item si ad pugnandũ lacessens alterum crebra convitia, & contumelias adijciat, quâ iste molestiâ se liberando & subeundo dedecore aliter liberare

non

non possit, nisi armis comgrediatur, nunquid si talis provocatus in duello occumbat, sepulturâ Ecclesiasticâ privari debebit? In similibus circumstantijs acceptantem duellũ oblatum non animo occidendi provocantem, sed gratiâ meræ defensionis, saltem in foro interno excusari putant Lucas Floronus. *de duello, c. 6 §. 2.* Fillivo *tom. 1. tract 15. cap. 5. n. 107. & 113.* Laym. *in Theol. mor. lib. 3. tract. 3. p. 3. c. 3. n. 3.* Nav. *c. 15. n. 3. & 4.* pro eaque sententia speculativè plures rationes faciunt, quas adducit Lessius *de I. & I. lib. 2. cap. 9. dubio. 12. n. 83.* practicè tamen contrarium tenendũ videtur propter malas consequentias, & quòd plerumque aliud medium sit conservandi honorem, v.g. dicendo ad provocantem, se paratum fore, si per Ecclesiam liceret, vel provocantem experturum, quocum negotium habeat, si palam, & non proditoriè aggressus fuerit &c. *Lessius*

d. l. n.

d. l. n. 84. Peregrin. de duello. q. 24.

Sed quidquid sit de hac difficultate 23
an excusetur qui merè defensivè duellum honoris causâ suscipit, quæ non est de præsenti instituto latiùs examinanda, interim tametsi supponerem sententiam affirmativam, dicerem tamen occumbentē in tali duello nō esse Ecclesiasticè sepeliendum. id quod evincere videtur Bull. Clem. VIII. *illius vices, &c.* §. 5. ubi apertè statuitur pœnas duellantium procedere, si unus miles cum altero etiam ex hostili castro, etiam Ducum permissu privatâ tamen de causâ duellum ineat: quale duellum profectò miles sine ingenti apud totum exercitum diffamatione, & contemptu utique detrectare non potest. Ratio autem fun- 24
damentalis est, quòd ad execrationem & extirpationem alicujus gravis criminis (in genere talis) aut abusus, multa fiant sine culpa verâ quæ non fiunt sine causa aut culpa præsumptâ

& sæ-

& sæpenumero aliquis ex præsumptione mali damnetur, qui tamé revera est innocens. ita electus per Simoniá alterius etiam ignoranter, dignitate privatur. *c. nobis fuit. 27. de Simonia.* ita filij hæreticorum, item filij eorum, qui crimen læsæ Majestatis perpetrárunt, graviter puniuntur, per privationem bonorum, successionum, dignitatum, &c. ut ipsis *mors sit solatium, & vita supplicium*, quamvis ex sua persona nihil commiserint. *c. vergentis. 10. de hæret. l. quisquis. C. ad. l. Iul. Majest.* ita multorum locorum sunt statuta, ut cum armis deprehensus in carcerem impingatur, imò nonnunquam illicò suspendatur, nullá admissâ excusatione, quòd fortassis ad defensionem contra hostem arma gestaverit.

CA-

CAPUT IV.

DE PAROCHORUM potestate disponendi circa sua bona & reditus.

1. *Bona Clericorum quadruplicia.*
2. *Circa Patrimonialia competit plena facultas disponendi.*
3. *Idem de industrialibus.*
4. *Idem de Parsimonialibus.*
5. *Etiam Parochus Religiosus bona Parsimonialia habere potest ad usũ.*
6. *Bona prospectu Ecclesiæ acquisita nonnisi in sui sustentationem, & superflua ad pias causas expendere possunt Parochi.*
7. *Sustentatio potest desumi ex Ecclesiasticis, licet adsint Patrimonialia.*
8. *Quomodo accipienda sit congrua sustentatio.*
9. *Pulchrum monitum S. Bernardi.*
10. *Quid veniat nomine piarum causarum.*

11. Parochus in officio diligentior, plus potest impendere in sui sustentationem.

12. Bona œconomia Parochi non debet transire in avaritiam.

13. Consanguinei non sunt ditandi ex bonis Ecclesiæ possunt tamen juvari, ne egeant secundùm suum statum.

14. Quænam dicatur notabilis quantitas redituum malè impensorum.

15. Malè impendentes probabiliter excusantur â restitutione, quamvis hæc illis pro tutiori consulenda sit.

16. Quæ sunt comparata ex reditibus Ecclesiasticis, assumunt naturam bonorum Ecclesiasticorum.

17. An & quæ consuetudo valere possit circà testamenta Parochorum.

1 BOna Parochorum, sicut generalliter omnium Clericorum, in quadruplici esse differentia passim inter DD convenit, alia enim sunt *patrimonialia*, ex hereditate, legato, aut donatione acquisita: alia *Ecclesiastica*

seu

ſeu proſpectu & ex ſtabilibus reditibus Eccleſiæ obvenientia: alia *induſtrialia*, quæ Parochus non tantùm ex induſtriâ profanâ, ut profeſſura liberalium artium, contractu, aut artificio honeſto, ſed etiam ex induſtria ſpirituali acquirit, ut ex lectione Miſſarum, exceptione confeſſionum, benedictione nubentium, ſepultura, alijſque ſpecialibus functionibus Parochialibus, qui vulgo reditus *ſtolæ* appellari conſueverunt: alia deniqúe ſunt bona *parſimonialia*, quæ Parochus parciùs, quàm ſibi licuiſſet, vivendo collegit.

Porrò circà bona *patrimonialia* Parocho plenaria tam inter vivos quàm in ultima voluntate diſpoſitio competit, atque ſi ab inteſtato moriatur, in illis bonis non Eccleſiæ (niſi in defectu legitimorum heredum) ſed proximis Conſanguineis ſucceſſio defertur. *c. fin. 12. q. 4. c. 1. de pecul. Cler. c. relatum. 12. de teſtam.* 2

Quod de bonis patrimonialibus, 3

etiam de *industrialibus* (quæ *quasi patrimonialia* vocant) communiter sentiunt Authores, sive deindè ex profanâ sive spirituali industriâ comparata sint. quia fideles hujusmodi bona largiuntur Clericis in prœmium & mercedem laboris, nec intendunt illis ullum onus imponere. *Lessius de I. & I. lib. 2. cap. 4. dub. 6. n. 37.*

4 Item & bona *parsimonialia* patrimonialibus quantùm ad effectum plerique annumerant, ut & in his plena dispositio Parochis concedatur, ut ex S. Thoma, Adriano, Soto & alijs probat Nav. *de redit. Eccles. q. 1. mon. 26.* sequuntur Lessius. *d. l. n 39.* Lugo *de I. & I. tom. 1. disp. 4. sect. 3. n. 35.* ratio est: quia in illa parte bonorum, quæ spectat congruam sustentationem, datur Clerico plenaria dispositio, nec imponitur illi necessitas ad pias causas erogandi, ergo si competenti sustentationi aliquid subtrahere velit, nihil obstat, quo minùs id

in

in quoslibet usus expendere valeat.

Sed quid de Parocho Religioso 5
dicemus, num & is bona parsimonialia habere possit, quæ pro suo libitu (saltem honestè) expendat? Satis probabiliter affirmat Nav. *d. q. 1. mon. 33.* non quòd Religiosus sibi quarundam rerum dominium acquirere rectè dicatur, sed quòd in illis bonis, quæ congruam ejus substentationem respiciunt, liberam expendendi facultatem à Jure & Superioribus habeat.

Bona *prospectu Eccles. acquisita*, quæ 6
in annuis & stabilibus reditibus, ut in decimationib⁹, fundationib⁹, &c. consistunt, Parochi non aliter expendere possunt, quàm in honestam sui sustentationem, & eorum superflua in pias causas. *c. quòd autem. 23. q. 7. c. 26. & seqq. 12. q. 1. Trid. S. 25. de ref. c. 1.* fatentur quoque DD. universi, gravis peccati mortalis reum esse, qui ea, quæ ex bonis Ecclesiasticis ultra con-

gruam sustentationem supersunt, in profanas causas in notabili quantitate expendit. Verùm circà istam conclusionem aliqua notanda sunt.

7 I. Tametsi Parochus alia bona habeat nihilominùs illis reservatis poterit totam suam sustentationem ex bonis & reditibus Ecclesiæ desumere, quia dignus est operarius mercede suâ, & nemo suis stipendijs militare cogitur. *Innoc. & Pan. in c. Episcopus, de præb.* Quòd si Parochus forsan ab initio susceptæ Parochiæ ex bonis patrimonialibus vixerit antequam reditus Ecclesiasticos percipere potuit, fas erit ei, posteà ex reditibus Ecclesiasticis tantundē inter bona patrimonialia computare. *Lessius. d. dubio. 6. n. 38. Lugo. d. disp. 4. sect. 3. n. 44.*

8 II. Congrua sustentatio personæ non est quoad strictam vivendi rationem accipienda, sed etiam consideratio status, & dignitatis haberi debet, ita ut Parochus nobilis vel Gradua-

duatus plùs in suam sustentationem impendere valeat, quàm alius minus litteratus, & humilioris conditionis. *arg. c. de multa. de præb. & Extrav. execrabilis. Ioan. XXII. Nav. d. q. 1. n. 36. n.* 3. Prætereà nomine congruæ sustentationis etiam intelligitur debita hospitalitas, non solùm illa, quæ fit erga pauperes & peregrinos, & maximè commendatur Clericis in Concil. Trid. *sess. 25. c. 8.* sed etiam hospitalitas urbana cum moderatione debita juxta statum & qualitatem beneficij. Item in eandem sustentationem rectè imputantur moderatæ donationes remuneratoriæ & aliæ, quibus boni amici fiunt aut conservantur, quia virtus liberalitatis pro qualitate & conditione status plurimùm decet Virum honestum & ingenuum. *Lugo d. disp. 4. sect. 4. n. 66. & n. 73.* generaliter pro regula tradit Molina *de I. & I. disp. 145. n. 13.* congruitatem sustentationis desumen-

mendam esse, ex usu & consuetudine virorum qui sunt ejusdem conditionis ac timoratæ conscientiæ. in omnibus verò modestiæ, honestatis & decentis frugalitatis ratio habenda est, & observandum quod S. Bern. in
9 *epistola ad Fulconem* scribit. *Concedi-tur tibi*, inquit, *ut si benè deservis, de altario vivas: non autem ut de altario luxurieris, ut de altario superbias, &c.* & idem Bern. *in epistola 42. ad Hen. Sen. Archiep. Clamant*, ait, *nudi, clamant famelici, conqueruntur & dicunt: nostrum est quod effunditur, nobis crudeliter subtrahitur, quod inaniter expenditur; nostris necessitatibus detrahitur, quicquid accedit vanitatibus vestris, &c.*

10 III. Nomine *piarum causarum*, quibus superflua distribuenda sunt, non tantùm intelliguntur pauperes, non habentes necessaria ad usum, sed etiam ij, qui carent necessarijs ad sustentandum statum juxta suam qualitatem

tatem & conditionem. Deindè rectè quoque dicuntur ad pias causas distribui, quæ expenduntur, in usum Religiosorum, in fundandas Capellanias aut Missas, alimentationem alicujus studiosi, quem sui parentes, vel nolunt, vel non possunt in studijs alere, in erectionem vel conservationem Seminarij pauperum Scholarium, & universim quæcunque ad cultum Divinum vel ad misericordiam spiritualem vel corporalem alterius ordinantur. *Lugo. d. disp. 4. sect. 3 n. 37. & sect. 4. n. 68.*

IV. Parochus, qui in administratione sui officij diligentior est, quàm de Jure teneretur, v. g. crebriùs per se ipsũ audiendo confessiones, concionando, Missas legendo, docendo rudimenta fidei, visitando & consolando infirmos, &c. talis, inquam, Parochus poterit etiam plus boni viri arbitratu in suam sustentationem impendere: & consequenter si vo- II

luerit aliquantò parciùs vivere, plus bonis parsimonialibus vel industrialibus accensere juxta illud Apost. 1. ad *Tim. 5. Presbyteri, qui benè præsunt, duplici honore digni habeantur, maximè qui laborant in verbo & doctrina. Nav d. q. 1. mon. 29. Molin. disp. 144. n. 23.*

12 V. In expendendis bonis ad pias causas potest se gerere Parochus, ut bonus Oeconomus, & ita aliqua pro futuris necessitatibus reservare, quæ verosimiliter timentur eventuræ. Non tamen debet hæc reservatio transire in speciem avaritiæ, ut Parochus velit nimis anxiè & Divinæ providentiæ parùm confidens, omnes casus qui quoquo modo evenire possunt prævidere, & interim nihil vel modicum in pias causas erogare. *Nav. d. q. 1. mon. 25. n. 5. Lugo. d. disp. 4. sect. 3. n. 41. & sect. 4. n. 74.*

13 VI. Licet in Concil. Trid. *s. 25. de ref. c. 1.* interdicatur quibuscunque

bene-

beneficiatis, ne ex reditibus Ecclesiæ consanguineos familiarésve suos augere studeant, sed si pauperes sint, ijs ut pauperibus distribuant, &c. Nihilominus ex communi sententia non est damnandus Beneficiatus si aliquantò plus in suos consanguineos eroget, ne secundùm suum statũ egeant, vel ut honestiores in domo ipsius conspici possint, quia status consanguineorum humilium, nonnihil elevatur per promotionem Beneficiati. Sed non esse dandum consanguineis ex quo superbi, otiosi aut vitiosi vivant, proindeque conducere, ut Beneficiatus eorũ opera in officijs utatur, & ita sine præjudicio pauperum ipsis succurat, monet Nav. *d. q. 1. mon. 27. n. 4. & 5. Lugo d. sect. 4. n. 20.*

14 VII *Notabilis quantitas*, quæ in malè expensis reditibus Ecclesiasticis peccatum mortale constituit, non est eadem, quæ in furto sufficit, sed multo major requiritur; quia cùm in ma-

la

la applicatione bonorum Ecclesiasticorum, non immediatè lædatur aliquis certus & proximus, sicut in furto, si quidem ejusmodi bona non magis debent distribui pauperibus, quàm applicari ad ornatum Ecclesiæ, vel alium pium usum, ideò videtur sufficere, quòd moraliter & à potiori benè distribuantur. quare Joan. de Lugo. *de I. & I. tom. 1. disp. 4. sect. 3. n. 42. vers. fateor.* putat imprimis attendendam esse quantitatem redituũ beneficialium, ita ut qui v. g. in centum superfluis viginti malè impenderit, dicatur peccasse, non verò ille, qui in mille superfluis tantùm 10. ad profanas causas exposuerit. generaliter autem existimat aliquem moraliter reditus Ecclesiasticos benè impendisse, & à gravi peccato excusatum esse, qui ex 100. 5. tantùm profanis rebus applicaverit.

15 VIII. Consulendum quidem foret omnibus Parochis & Beneficiatis, ut

si

si aliqua de reditibus Ecclesiasticis malè impenderint in profanos usus, de bonis suis patrimonialibus, vel parciùs imposterùm vivendo restitutionem faciant pijs causis: quia non est paucorum DD. opinio, hanc restitutionem eis de necessitate incumbere ut videre est apud Cov. *in c. 7. de testam. n. 10.* attamen probabiliter teneri potest cum eodem Cov. Lessio *de I. & I. lib. 2. c. 4. dub. 6. n. 34.* Molina *disp. 144.* de rigore Clericos ad prædictam restitutionem non teneri. quamvis enim ab Ecclesia injungatur superfluorum elargitio in pias causas, eamque elargitionem omittentes graviter peccent, non tamen statim sequitur quòd insuper ad restitutionem teneantur: quia si id SS. Canones voluissent, utique in re magni momenti expressissent, sicut in rebus per se clarioribus & minoribus expresserunt, ut quòd omittens Breviarium ac non residens legitimo

tempore ad restitutionem teneantur in dubio autem non obligatio, sed liberatio inducenda est. L. *Arianus.* 4. 16 *de O. & A.* Illud tamen adnotandum est, quòd ea, quæ ex reditibus Ecclesiasticis comparata sunt, adhuc maneant sub ratione bonorum Ecclesiasticorum, & consequenter in vivis sint distributioni ad pias causas obnoxia, & post mortem ad Ecclesiam devolvantur. *c. 1. de peculio Cleric.* aliàs facilè eluderetur obligatio distribuendi superflua ad pias causas, quia si beneficiatus ex superfluis emeret fundos aut prædia, vel econtrà, si frumentum & Decimas venderet, jam illa prædia comparata, vel istud pretium ex Decimis acceptum liberè expendere posset,

17 Coronidis loco expendendum duxi, quid sentiendum sit de consuetudine, quæ passim invaluisse dicitur, quòd de reditibus Ecclesiasticis Parochi liberè testentur, ad quas maluerint

causas, contrà claras Juris constitutiones, in quibus prohibetur, ne Clerici de reditibus suorum beneficiorum testamentum facere possint. *c. 1. c. cum in officijs. 7. c. quia nos 9. De testam?* Non desunt pro & contrà hanc consuetudinem multæ graves authoritates & rationes, quas refert Cov. *in d. c. 7. n. 23. & seqq.* Rem ita componunt Molina *de I. & I. disp. 147. n. 27.* & Azor *inst. mor. p. 2. lib. 7. c. 9. q. 1.* quòd per consuetudinem Clerici *validè* testari possint sed non *licitè.*

Verùm ego considero substantiale requisitum consuetudinis (sine quo nullum effectum habet) esse, ut sit *rationabilis. c. fin. de consuet.* talem verò consuetudinem, qua sine peccato mortali ex sententia Azorij & Molinæ uti non licet, & per quam id quod ex sententia SS. Patrum & enixâ constitutione Canonum pauperibus ac Ecclesiæ debetur, ad profanas causas distribuatur, esse ratio-

nabi-

nabilem, sanè mihi nemo persuaserit, & hinc non vana est vulgi opinio, vel experientia, quòd bona Clericorum apud Laicos heredes parùm fructificent. Accedit: quòd experientiâ constet per talem consuetudinem non exiguum damnum inferri Ecclesijs quando decedentibus Parochis omnia ad heredes devolvuntur, & interim Ecclesia vix sarta tecta, nedum debita ornamenta & novus parochus vix media se alendi habet; ut vel ex hoc capite prædicta consuetudo invalida videatur. *c. 1. de consuet. junct. c. cum in officijs.* ibi: *nos indemnitati Ecclesiarum providere volentes. &c. de testam.* Quare illam valere consuetudinem existimo, quæ approbatur in *c. relatum. 12. de testam.* ut Parochus possit aliqua de reditibus Ecclesiasticis in ultima voluntate relinquere pijs locis, pauperibus, & qui sibi in vita aliquod servitij meritum exhibuerunt, sive deindè isti pauperes aut

ser-

servientes sint consanguinei, sive extranei. Nihil verò movere debet id, in quo contrariæ sententiæ DD. plurimùm se fundant, quòd nimirum S. Pontifex non contradicendo videatur tacitè approbare prædictum usum ad profanas causas testandi, quem vix potest ignorare, cùm in multis Orbis partibus practicetur. præterquam enim quod in novissimo Concil. Trid. *d. sess. 25. c. 1.* satis contradictum videatur, jam in ferè simili materia (videl. circà pluralitatem beneficiorum à multis sine legitimâ dispensatione & scrupulo obtentam) declaravit Pont: quòd sua taciturnitas non approbet tales usus, qui non satis rationabiliter adversus SS. Canones inducuntur, *multa*, inquit, *per patientiam tolerantur, quæ cum in judicium deducta fuerint exigente Iustitiâ tolerari non debebunt. c. cum jam dudum. 18. ubi gl. in v. patientiâ. De præb.* Demùm neque illud argumen-

mentum aliquid evincit, quòd S. Pontif. per privilegium concedat licentiam testandi Clericis ad profanas causas, quæ testatio si irrationabilis esset, non rectè per Pontificem concederetur. Multa namque in vno vel altero particulari casu rationabiliter conceduntur, quæ tamen universaliter concedi *rationabiliter* non possent, veluti si inter consanguineos in 2. vel 3. gradu ad Matrimonium, aut cum luscis, illegitimis, vel alio modo irregularibus ad SS. Ordines dispensetur. Unde illa etiam consuetudo præ cæteris tolerari potest, si Clerici antequã testentur, saltem licentiã Episcopi requirere debeant, ex cujus prudentia præsumitur necessitatibus cõmunib⁹ pauperum & Ecclesiarũ satis provisum iri.

Atque hæc de Juribus Parochialibus ad Divini Nominis gloriam Deiparæ Virginis omniumq; Cœlitũ honorem, Proximi verò utilitatem breviter dicta sufficiant.

FINIS.

Collegij Soc. IESV Paderborna 1665

SALISBVRGI,

Sumptibus & Typis JOANN:
BAPTISTÆ MAYR, Typographi
Aulici & Academici.

ANNO M. DC. LXII.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Th
2340

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN